2.

WILHELMI CHRISTIANI IVSTI
CHRYSANDRI

DIATRIBE THEOLOGICA

DE

VERO SAMVELE

POST MORTEM SVAM

CVM SAVLE COLLOQVENTE.

AD LOCVM VEXATVM I. SAM. XXVIII, 5-19.

ILLVSTRANDVM COMPARATA.

HELMSTADII

LITTERIS PAVLLI DIETERICI SCHNORRII ACAD. TYPOGR.

MDCCXLVIIII.

2.

WILHELMI CHRISTIANI IVSTI
CHRYSANDRI

DIATRIBE THEOLOGICA

DE

VERO SAMVELE

POST MORTEM SVAM

CVM SAVLE COLLOQVENTE.

AD LOCVM VEXATVM I. SAM. XXVIII, 5-19.

ILLVSTRANDVM COMPARATA.

HELMSTADII

LITTERIS PAVLLI DIETERICI SCHNORRII ACAD. TYPOGR.

MDCCXLVIIII.

VIRO

NATALIBVS, PERSPICACIA, DEXTERITATE,

BENE MERENDI STVDIO, ET INSIGNIBVS

DE PATRIA MERITIS

INCLYTO,

DOMINO

HENRICO BERNHARDO

DE SCHRADER,

SERENISSIMO DVCI BRVNSVICENSIVM AC LVNEBVRGENSIVM

A CONSILIIS AVLICIS

ITEM AC

SECRETIORIBVS EXPEDITIONIBVS,

CAPITVLI BRVNSVICENSIS, CVI NOMEN A DIVO

CYRIACO HAERET,

DECANO QVAM MAXIME REVERENDO,

DYNASTAE CLIENTELAE SCHLISTAEDT

STRENVO AC GENEROSISSIMO,

MAECENATI OMNIS REI LITTERARIAE

HAVD VVLGARI,

MVSARVM IN DITIONIBVS BRVNSVICENSIBVS

PALLADIO,

HOC TENTAMEN

PHILOLOGICO-EXEGETICVM

EA, QVA PAR EST, REVERENTIA

DAT, DICAT, DEDICAT,

ATQVE

DEI GRATIAM, VITAM, RES SECVNDAS,

ET

QVIDQVID VERORVM BONORVM MORTALIBVS

AB ILLO OPTIMO MAXIMO PATRE

CONTINGERE POTEST,

APPRECATVR

AVCTOR.

DOMINE PRAECELLENTISSIME!

Quamuis iam duas dissertationes, quarum altera e cathedra academiae Juliae Carolinae theologica, altera e philosophica publice ventilabatur, amabili NOMINI TVO consecrarit singularis erga TE veneratio mea: non possum tamen pietati meae temperare, quin istis duabus dedicationibus tertiam, perfectum gratissimae mentis documentum, addam. Testatum eo, quem testatissimum esse fas est, gratum animum.

Si plurimae iis debentur gratiae, a quibus maxima beneficia accepimus: Quis erat, cui potius debebam repetitam obseruantiae gratissimae declarationem, praeter TE, principem EVERGETAM meum? Quo autem digniori modo ea ad TE, DOMINE GRAVISSIME! perferri posset, quam vehiculo dissertationis, quae de SAMVELE agit, fido scoporum diuinorum in re publica Judaica administro, scholarum reformatore, zelote pro honore Numinis integerrimo, cupiditatis aut iniuriae conuicto numquam?

Vellem, DOMINE GRATIOSE! maioris operis ἀναθέσει, prout meretur nomen TVVM, & flagitat reuerentia erga illud mea, TIBI iam litare. Sed quadrat in me, quod Arabes de inopibus auxilii frequentant:

* وَهَلْ يَنْهَضُ ٱلْبَازِي بِغَيْرِ جَنَاحِ An volabit avicula sine ala? *Sperare tamen me iubet ſpectatiſſima TVA, VIR SPLENDIDE! humanitas, TE nec leuidenſe hoc periculum, quod in ſinum TVVM confugit, eſſe reiecturum. Sit enim illud tenue: minime tamen tenuis eſt, ex qua id proficiscitur, honeſtae voluntatis copia. Sit vix quidquam in rebus humanis tam elimatum, vt aliqua parte detractioni non pateat: haec grata mens tamen reprehendi a nemine ſolet.*

Teſtis igitur publicus exſiſtat hic libellus, quid ſit beneficium acceptum IN AQVA PINGERE? *mihi ſemper ignotum manſurum eſſe. Manebunt enim per omnem vitam maxima quibus, dante DEO, de me meritus es, VIR INDVLGENTISSIME! beneficia memori inciſa animo*

GENEROSARVM VIRTVTVM

TVARVM

Helmſtadii,
ſtante Maio,
A. 1749.

CVLTORIS OBSEQVENTISSIMI

WILHELMI CHRISTIANI IVSTI CHRYSANDRI.

IDEA DISQVISITIONIS.

In VESTIBVLO sententia vulgaris de mirabili, quae 1. Sam. XXVIII, 5-20. exstat, historia recensetur, atque triplex πρῶτον ψεῦδος eius denudatur; in pontificiis, in philosophia, atque praeiudicio auctoritatis, amicitiae, vetustatis &c. securo desinens. §. 1. 2. Indicatur §. 3. & 4. mens auctoris, atque probandum hoc

THEMA: QVOD VERVS SAMVEL MORTVVS SAVLI APPARVERIT OMNINO, ET CVM EO LOQVVTVS SIT.

SECTIO I. CAPTATIONEM VANI AVGVRII, huc vsque a paucis recte intellecti, connexionis ergo, describit. Nimirum

A) *consulentem:* Saulem, eiusque ad angustias redacti animum.

B) *consultam:* endoream mulierem, *dominam obae.*

a) Reiiciuntur interpretationes, quae eam 1) pro *loquaci per ventrem §. 6.* 2) pro *Pythonissa §. 7.* 3) pro *laternaria* aretologa. §. 8. habent.

b) Euincitur e potestate verborum sacrorum, quibus inhaerendum est, eam fuisse HYDROSCOPICAM, quae conabatur in VASE *aquario* defunctorum hominum quidpiam repraesentare. §. 9-12. Significatus vocis Hebraicae אוֹב stabilitur adhibito loco Job. XXXII, 19. §. 13-14. Idem luce conspergitur & corroboratur e lingua in primis *Arabica* §. 15-16. *Persica* (Orientalium linguarum facillima & nobis valde vernacula) §. 17. e *Chaldaica* & *Syriaca* §. 18. e *Graeca* §. 19. & *Latina* sequioris aeui. §. 20. Duo scrupuli semouentur §. 22. 23. Efficitur ex istis, mulierem endoream pertinuisse ad istos hariolorum inter profanas gentes, qui *stoecheomantiae* vacabant. §. 24. Hariolationes istiusmodi in tabula synoptica exhibentur. §.24. *Schol.* Corollarium de flaccescente SAVLE §.25.

C) *Actio*

C) *Actio* necromantica, quam optauerat Saules, incipi non potuit, quippe interueniente subito re vera eo, quem adfore, nec Saul, nec mulier hydromantica putauerant. §. 26.

SECTIO II. probat VERITATEM APPARITIONIS SAMVELIS, quam videntes litteras sacras huc vsque tamen fere non viderunt. Multo durius est diabolum vel mulieris artes obtendere, quam DEO adscribere, quae ipsi tribuenda esse, omnia clamant. Refelluntur item τὰ τῶν ἐξ ἐναντίας κηρύγματα.

A) *Possibilitas* indubia. Potuisset Rex AHAS etiam, si voluisset, iterum Samuelem e caelo ad se redeuntem videre, quum DEVS *signum e caelo* ipsi Jes. VII, 11. offerret. §. 27.

B) *Probabilitas.* Innectitur ei vtilitas miraculi, per fictionem heuristicam positi. Praestiturum id fuisset, ne maiora vitia in prouinciae Judaicae viscera penetrarent. §. 28. *Tum* maxime necessarium SAVLIS, primi regis, animo, *tum* vtilissimum toti isti aeuo, *tum* optabile ob *Nouum Test.*, *tum* terribile artificulis obbariis.

C) *Actualitas* probatur ex assertionibus θεοπνεύστου scriptoris, non nisi e Logicae sacrae praescripto explicandis. §. 29.

Ratio 1) sunt nomina eius rei, quae apparuit. §. 30. 31. Nam nomina personarum, sunt termini cum notione ad earum repraesentationem excitandam coniuncti. Textus sacer *quinquies*, non catachrestice sed proprie, illud, quod apparuit, constantissime salutat nomine SAMVELIS.

2) Textus sacer auctor est, Samuelem incurrisse in oculos feminae ollaris, accuratissime. §. 32.

3) *Samuelem a Saule esse conspectum & agnitum* IPSVM §. 33-36.

4) Tristissimam noctem fuisse obbariae, quae in insolitas querelas & lamentationes erupit, ad Saulem aduolans, consternata. §. 37.

5) Luculentius θεῖον prophetiae specialioris, quae impleta est, se per euentum ostendisse. §. 38.

SECTIO III. Subiicit: DEVM VNICE AVCTOREM HVIVS MIRACVLI, apparitionis Samuelis nempe, ESSE. §. 39. A mille vero lamiis §. 40. & a mille diabolis Samuelem extrahi sedibus beatis haud potuisse. §. 41. Egit igitur apparens ille DEI legatum, minime vero diaboli apparitorem. Oppositiones dispelluntur sub singulis §phis.

Προάυλιον.

§. I.

Vna fere omnium interpretum hodie vox est, *non verum* fuisse SAMVELEM mortuum id, quod Sauli apparuisse, sermonesque cum eo miscuisse 1. Sam. XXVIII, 14-19. a scriptore θεοπνεύςῳ narratur. *Sententia vulgaris.*

Mirari desino, qui factum sit, vt haec interpretandi ratio tot insignibus viris probaretur, quando TVM ad ἀνθολκὴν controuersiarum quarundam respicio, quibus simplices & natiui locorum sensus amittuntur; TVM ad statum philosophiae, procedente tempore alium atque alium, oculos dirigo.

Fuerunt, qui censuere, (num severius an verius? iudicent alii) quosdam praeclaros viros, quibus sanae doctrinae custodia curae cordique fuit, ad explicationem, quae SAMVELEM

pro fictitio habet, ideo magis propendisse, vt Papisequis nullam relinquerent occasionem, ex hoc loco aliqua cum specie *Limbum Patrum* probandi. Prouocant enim ad hanc SAMVELIS apparitionem Pontificii, quando contendunt, animos fidelium, tempore veteris testamenti defunctorum, non peruenisse ad visionem Dei, sed in certo receptaculo subterraneo, a sede beatorum distincto, detentos fuisse, vsque dum CHRISTVS consummatis passionibus ad inferos descenderit, *Limbum* illum plane destruxerit, caelum antea clausum aperuerit, liberatosque Patres secum ad gaudia caelestia euexerit. Neque contenti sunt hoc consectario. Sed etiam plurimarum animarum *consuetudinem* quandam, post depositum corpus *apparendi*, inde probare annituntur. Cui opinioni deinde figmentum de *Purgatorio* inaedificant, immo etiam de Missae necessitate. Quippe, si illos audies, animae liberantur e purgatorio partim per proprias, vt ita dicam, Satis-Passiones, partim per suffragia viuorum, quæ quidem ab animabus apparentibus efflagitari credunt, nempe per Missae sacrificium, per preces, ieiunia & eleemosynas. Verum enim vero, vel si concesserimus, ipsum SAMVELEM praeter ordinem, volente DEO, post mortem suam SAVLI praesentem, conspectumque fuisse: nullum tamen inde fluit loci intermedii patrocinium. Si *miraculum* emissionis Samuelis, singularibus ex caussis factum, damus, nequaquam iis manus porrigimus, qui dicunt, *ordinaria* lege animas, ex parte impuras, tamdiu ad viuentes redire, donec satis purgatae sint. Differt dispensatio a regula. Potest etiam virgultum erroris pontificii facile aliorum oraculorum diuinorum acie succidi.

Hoc autem inficias iri nequit, philosophiae varium habitum varie afficere, vti vniuersam Theologiam acroamaticam, sic etiam labores Exegeticos. Difficile minime est, systematum philosophicorum, quae se inuicem in tractu longorum retro temporum exceperunt, notas quasdam, etiam commentariis exegeticis singulorum saeculorum impressas videre. Animaduertimus, tam sordes quam decores e philosophorum scholis pro varia earum conditione, sensim omni tempore emanasse, ad faciem sanctioris disciplinae vel deformandam vel cohonestandam. Praecepta illa, quae in quouis aeuo princi-

principatum tenent, & in ſcholis inculcantur atque commendantur, normae deinceps inſeruiunt, ore ſcriptisque docentibus. Definitiones pſychologicae & ſomatologicae, hypotheſes variae, quae circumferuntur, immiſcent ſe reſponſioni, quando de animorum ſtatu poſt mortem & operationibus eorundem iudicium ferendum eſt.

Huius quidem interpretationis, quae Samuelem I. Sam. XXVIII. pro chimaerico habet, πρῶτον ψεῦδος (ſicuti compluriumπαρεξηγεσῶν epidemicarum) partim etiam reperiri in mutata philoſophiae conditione, foret facile oſtenſu, ſi permitteret ſcopus meus, plenam hiſtoriam exegeſeos, quae huic pericopae inde a tempore ORIGENIS obtigit, heic exhibere. Appariturum ex ea eſſet clariſſime, quemadmodum ſe habuit, Pneumatica, doctrina de intelligentiis finitis & maxime de Spiritibus, qui cum corporibus coniuncti ſunt, ſeu *Pſychologia* Pneumatica, eaque anthropologica, ſic etiam ſe habuiſſe *Thanatologiam Anthropologicam.* Quo autem modo haec comparata fuit hac vel illa temporum periodo, ad eundem compoſitas ſemper, accommodatasque fuiſſe expoſitiones huius rei, Endori geſtae, palam eſſet futurum.

Praeterea perpendendum eſt, quod monet WERENFELSIVS, eorum exegetarum, qui proprio iudicio, ea, qua fieri poſſet, diligentia ac tam ſerio, quo convenit, ſtudio veri vtuntur, tantum numerum haud eſſe, quantus fortaſſe videtur. Tutius exiſtimant, inſiſtere veſtigiis qualibuscumque, iam calcatis, quam breuiorem atque puriorem viam exquirere & ſequi. Vel, ſi vtraque via ſatis teritur, dici non poteſt, quantum valeant primi praeceptores, libri, quorum copia eſt, connexiones arcanae, contractus innominati, clientelae, vincula ſanguinis, amicitiae, commercia litteraria, blandimenta, officioſa obſequia, compenſanda obſequiis. Prudentibus & rerum vſu doctis haec multorum iudiciorum origo certior eſt, quam vt opus ſit, per exempla ire. Quod inter Arabes prouerbium eſt, أَقْدِحْ لِي أَضِي لَكَ * أَعْنِي

Excute mihi ignem & ego tibi allucebo, eſto mihi ero tibi, hoc re ipſa nec inter nos ignotum eſt. Quando autem ſententia patronis amplis diues eſſe coepit, haud facile hiscunt contra e-

am pauciores dissentientes. Transferri videtur posse etiam ad alia tempora illud iudicium. quod *Centuriatores Magdeburgenses*, (seu MATTHIAS FLACIVS,) de saeculi *octaui* Scriptoribus. C. VIII. c. 4. p. 300. ferunt: *Opiniones & errores priorum saeculorum, quibus multi praestantes viri in ecclesia fuerunt impliciti, etiam hoc tempore a plerisque doctoribus retenti & approbati sunt. Mirifice enim homines fascinat auctoritas praestantium virorum, vt magis dona quam veritatem rerum expendant.* Jam dudum a viris hilarioris famae proditum est, saepe accidere, vt opinionum sectatores similes sint auibus, quarum vnam praeuolantem sequuntur omnes. Si e re esset, nominarem duos celeberrimos viros istos, quos puto agmen ceterorum duxisse in negatione verae apparitionis Samuelis. Sufficit autem, heic annotasse, in multis scitis aliis vnum alterius facilitatem saepe sequi, & iuxta ELIPHASI formulam *imbibere errorem, sicut aquam.* Lapsum vnius alteriusue fieri errorem multorum, fidenterque sine vlteriori disquisitione tradi a posteris.

§. II.

biceps. Licet autem in eo, quod fundamenti loco ponitur, nempe non verum Samuelem Sauli fuisse exhibitum, amice conueniant plurimi, duplex tamen est via, quam ingrediuntur, vbi ad explicandam causam phaenomeni qualiscumque descenditur. Alii enim id *cacodaemoni** tribuunt, qui effecerit aliquod phantasma, Samueli non dissimile. Alii vero, quamquam pauciores, ne vocandum quidem in partes negotii esse diabolum, putant, rati, solis praestigiis *mulierculae*, ** fallaciarum architectae, omne glaucoma absolutum esse.

* Minime is sum, qui potestatem diaboli, & reliquorum, qui huic subsunt, geniorum malorum potentiam in corpora operandi, vel operationes eorum ipsas, negem.

Sic errauit BALTHASAR BECKERVS, exsistentiam rebellium spirituum haud quidem negans, sed tamen actiones eorum abnuens. Quod sane non multum melius est, quam exsistentiam ipsam renuisse. Ecce heic exemplum erroris,

cuius πρῶτον ψεῦδος latet in philoſophia. §. 1. p. 2. Ita nimirum tentatus faſcinatusque eſt BECKERVS a ſatana, quem torpere ſibi imaginabatur, vt nimium fideret definitioni *Spiritus* Carteſianae, qua venditatur, ſpiritus eſſentiam nihil eſſe praeter vim *cogitandi*, totum ſpiritum in cogitando occupatum eſſe, eumque, ſi cogitationes demſeris, nihil amplius eſſe. Eſt autem *conſcientia & cogitatio* non niſi attributum *ſpiritus* agentis. Id igitur, quod axioma ſolum eſt e definitione ſpiritus reali genetica quadam, DEO certe nota, habuit pro eſſentia. Hinc lerna malorum, hinc diſtorſio dictorum biblicorum iniuſtiſſima. Ea enim, ſcilicet, concordare debebant cum placentis BECKERI metaphyſicis, & tam diu pinſenda ac depſenda erant, donec, velint nolint, cum ſcribilitarum eius cruſtulis, faece hiantibus, conuenirent. En! quantum ſitum ſit in definitione ſpiritus. Ecce! quantum diabolus per vnicam definitiunculam operari poſſit, quando homines dormitant, nec eum videre volunt. Ecce morem diaboli antiquum etiam heic obtinentem, quo laborat, vt philoſophiae atque humanae eruditioni imperium in diuinam ſapientiam deferatur. Sapientiorem ſe geſſiſſet BECKERVS, ſi agnouiſſet, geneticam nec ſpiritus nec animae humanae definitionem huc vsque a quoquam datam eſſe. Notabilis Salomonis quaeſtio eſt, qua difficultatem definitionis iſtiusmodi dandae notat, dicendo Cohel. III. 11: *Quis nouit ſpiritum filii Adami, eumque aſcendentem ſurſum?* (Non verti NVM aſcendat? Illis enim vocalibus punctis ה inſtructum eſt, quae deſcriptiuo potius, quam interrogatiuo He conueniunt.) h. e. ad Dei altiſſimi tribunal Cap. I. 2. 7. 14. tendentem. *Et* quis nouit *Spiritum iumenti, eumque deſcendentem deorſum in terram?* qui non tenetur ad rationes in iudicio dandas. h. e. Definias quaeſo, ſi potes, animam humanam, & animam brutorum, ita vt eſſentiae plane diſtinguantur. Vtinam diſcrimen illud, quod duratio efficit, obſeruaretur a cunctis!

Sed quo minus credam, id, quod vidit Saules, fuiſſe non niſi ſimulacrum, quo Satanas Sauli illuſerit, obſtat mihi praecipue hic non infirmus cuneus, *quod plane incongruum eſt, licuiſſe diabolo, forma ſancti* SAMVELIS abuti. Vide hoc argumentum ab obiectionibus vindicatum §. 41.

** Pro mera autem γοητία totum memoratum habere ſpectaculum, prohibemur praeter cetera his momentis:

1. Vxor non potuiſſet adornare virum vel imaginem, Samueli per omnia, qua ſtaturam, vultum, vocem, veſtem, quae ſchismate conſpicua erat, ſimilem, quum vrgeret celeritas, ac Saul nullo praemiſſo nuntio aduentum ſuum mulieri indicaſſet. Nullum tamen fraudis heic exſtat indicium.

2. Indoles ſermonis Samuelis repugnat. Mulier, ſi ipſius arbitrio res confecta eſſet, aliter locutura fuiſſet. Effata eſſet, lucri ergo, non triſtia ſed laeta. His enim, non illis delectari illuſtres dominos nouerat. Nec Saulis vehementiam ignorabat. Effata eſſet non tam plane, ſed per flexiloquas ambages, more aliorum impoſtorum, qui, per longiorem temporis moram expiſcati aliquid, amphibolias exſculpunt.

3. Non potuiſſet vxor tam determinatum edere vaticinium, cui euentus tam accurate reſponderet. Quae opponi contra haec aſſerta poſſent, vide diluta. §. 40. 38.

§. III.

a qua meam ſeiungo.

Erit mihi integrum, in modo explicationis rei factae, fundamentum fidei haud attingente ab illis modeſte diſſentire. Multum enim differunt diſſenſus & contentio. Priorem omnes aequi ferunt. Olim * ipſe ſteti a partibus eorum, qui Samuelem a Saule viſum pro phantaſtico habent. Re autem curatius expenſa, vidi, inexplicabiles in hac ſententia obeſſe nodos, omnia autem in textu momenta melius ſibi conſtare, empaectarumque ſophismata melius infringi poſſe, ſi iſti expoſitioni nuntium miſerimus.

Summa ſententiae meae.

Exiſtimo igitur, ** *re vera illum ipſum*, qui defunctus erat, SAMVELEM *Sauli apparuiſſe;* eamque apparitionem nec mulieris Endoreae arti vel ingenio, nec latentibus naturae viribus, nec Satanae machinationibus tribuendam eſſe, *ſed ipſi DEO*, ſpirituum corporumque omnium domino. Exiſtimo, hoc admirandum curae pro eccle-

ecclesia diuinae specimen, quo immortalitatem animorum in luce collocauit, non obscurandum, sed profitendum esse.

* In periculo exegetico-dogmatico, *de primo primorum hominum peccato.* §. 54. p. 101.

** Premerem hanc interpretationem, mihi arridentem, si primus eam effinxissem. Maxime enim iis diffidendum esse puto interpretationibus, quæ nemini, praeterquam nobis, in mentem venerunt. Et quemadmodum Arabes describere solent hominem, quod sit بن الثغما *filius defectus*, sic in primis in me quadrare hanc descriptionem, meque labilem, & errandi periculo expositum esse, facile sentio. Sed non dimoueor a sententiis grauissimorum Theologorum, quando sententiae in spho propositae calculum album adiicio. Video enim iam veteres prudentissimos Theologos eandem sententiam professos. Atque hanc ipsam illorum interpretationem sumo mihi iam defendendam, confirmandam atque illustrandam; facturus planum, vt spero, illorum vestigia a recentioribus non paucis deserta esse immerito.

SIRACIDEM etiam, virum pium & doctum, qui paulo ante Christi aduentum in carnem vixit, habeo adstipulantem. Sic enim capite XXXXVI, 23. (in graeco v. 20.) refert ex mente ecclesiae Judaicae antiquioris: καὶ μετὰ τὸ ὑπνῶσαι αὐτὸν προεφήτευσε, καὶ ὑπέδειξε βασιλεῖ τὴν τελευτὴν αὐτοῦ, καὶ ἀνύψωσεν ἐκ γῆς τὴν φωνὴν αὐτοῦ, ἐν προφητείᾳ ἐξαλεῖψαι ἀνομίαν λαοῦ. quae verba Lutherus ita reddidit: **Und da er nun entschlafen war, weißagete er, und verkündigte dem Könige sein Ende (tödtliches Ende) und ließ sich hören aus der Erden hervor (seu und erhöhete aus der Erde seine Stimme,) und weißagete, daß die gottlosen Leute solten umkommen (seu melius, quia ἐξαλείφω actiuum est, um durch eine Weißagung auszulöschen, h. e. zuvorzukommen und abzuwenden die Ungerechtigkeit des Volks. i. e. die Versündigung der Leute, den Selbst-Mord Sauls und vornemlich den Betrug, den das Weib zu Endor mit ihren Gehülfen durch seine vorhabenden Lügen würde gespielet haben)** Sunt, qui exinde probare studeant, Siracidis librum non esse *canonicum*, quod spectrum illud 1. Samuel. XXVIII. haberet pro vero Samuele. Sed, nisi alia ἑτεροδοξα

in

in hoc libro occurrerent (nisi nempe Capite 48, 10. locum Malachiae IIII. 5. de Eliae Thisbitae visibili reditu contra Marc. IX. 11. 13. Luc. I. 17. explicaret: nisi Capite 24, 14. siniſtre illud verbum קנני Prov. VIII. 22. interpretatus esset per ἔκτισέ με, quum scribendum fuisset ἔκτησέ με: nisi Capite III. 33. ἐλεημοσύνη ἐξιλάσεται ἁμαρτίας *eleemosyna expiabit peccata*; nisi historia de canone Judaico obstaret) propter istam causſam minime taxandus esset liber Siracidis.

In versione Judaeorum Alexandrinorum 1. Par. X, 13. subiiciuntur haec verba, quae innuunt, verum vtique Samuelem cum Saule egisse: καὶ ἀπεκρίνατο αὐτῷ Σαμουὴλ ὁ προφήτης *& respondit ei* Sauli *Samuel propheta.* Videtur id glossema fuisse in margine codicis Samaritani, e quo translationem in graecum idioma factam esse, puto, motus auctoritate ABVLPHETACHI in *Chronico Samaritano*; vid. HOTTINGER *in thes. Philol.* L. I. c. III. p. 194-300. Docet saltem opinionem veterum hac de re additamentum illud.

Forte etiam ad hanc apparitionem & sermones mortui Samuelis alludit CHRISTVS in verbis Luc. XVI, 31. εἰ Μωσέως καὶ τῶν προφητῶν οὐκ ἀκούουσιν, οὐδὲ ἐάν τις ἐκ νεκρῶν ἀναστῇ, πεισθήσονται *si Mosen & Prophetas non audiunt*, ita vt emendent vitam prauam, *nec, si quis e mortuis resurgeret*, persuaderi sibi patientur atque *obedient.* q. d. Exemplum est in V. T. SAVLES, qui licet haberet Samuelem ex mortuis monitorem, tamen suicida factus est. Judaei hoc scitum CHRISTI concesserunt, non ignari, Deum eiusmodi exhortationem, per mortuum factam, olim omnino tentasse, frustra.

Judaei quidem mirifico consensu ad vnum omnes statuere, quod verus Samuel heic conspectus sit. Idque facillimum esset, e priscae reipublicae Judaicae ruderibus commonstrare. Conf. Jalkut ad 1. Sam. XXVIII. f. 20. & לקח טוב. Itemque Menasse ben ISRAEL *de resurrectione mortuorum l. 2. c. 6.* Sed discrepant in reddenda causſa huius apparitionis a mea sententia. Vnde eorum consensum heic non obtendo. Eadem ex ratione non multum vrgeo JOSEPHI testimonium, quo alii saepissime in rem suam vtuntur. Extat illud in *Antiquitatibus Judaicis Libro VI. capite XV.* Refert is recte, verum Samuelem praesto fuisse, sed in eo

me dissentientem habet, quod mulierem Endoream dicit ventriloquam, venditatque, ab hac Samuelem ab inferis euocatum esse.

Nec possum, quin heic annotem, quosdam Patrum quidem statuisse, quod verus Samuel Sauli apparuerit, (AMBROSIVS in *Luc. cap.* I. SAMVEL, inquit, *post mortem secundum scripturae testimonium futura non tacuit.*) multos autem falso idcirco citari. Illorum agmen non ducere patrum augustissimum AVGVSTINVM, ipsis euolutis eius operibus, demum vidi. In libro enim de *cura pro mortuis Cap. XV.* dubitanter loquitur, quamuis de eo certus sit, reuera quandam factam esse apparitionem. Dicit tamen: *Samuel propheta defunctus viuo Sauli etiam regi futura praedixit. Libro II.* autem ad SIMPLIC. *quaest. 3.* dicit, phantasma Samuelis apparuisse. Ostentat BELLARMINVS consensum BASILII *epist. LXXX. ad Eustathium.* Sed si verba eius ipsa consideramus, alia produnt. Apparet etiam e commentario BASILII *in Esa. VIII.* contraria opinio; dicentis nimirum: - - - *Sicuti pythonicus ille spiritus, quem consuluit Saul per diuinatricem, futuram stragem annunciauit ministerio daemonum.* Ne quid adiiciam de JVSTINI *dialogo cum Tryphone.*

§. IIII.

Distributio commentationis in partes duas.

Sub duo capita vocabo, quidquid ad istum locum I. Sam. XXVIII illustrandum proposuero. In PRIMO ostendam, hunc, quem Saules aspexit, loquentemque audiuit, *fuisse* VERVM *Samuelem*, & quidem *Dei legatum.* Hoc negotium requiret, vt etiam princeps illud momentum, quod veri Samuelis ἐπιφάνιαν praecessit, nempe studium Saulis, fatidicam mulierem interrogandi, praeuia cura illustrem breuiter. In ALTERO capite CONSECTARIA quaedam e stabilita thesi eliciam, Thnetopsychitis, pesti temporum, inimica. Ingemino suspiria ad TE, Judex viuentium & mortuorum! ἁγιασθήτω τὸ ὄνομά σου. Praedicator ab omnibus, qui vident, te tot insignibus miraculis religionem Christianam in iuuentute, nempe veterem Judaicam, confirmasse, & tamquam verissimam exhibuisse.

CAPVT. I.

PROBANS,

VERVM SAMVELEM SE CONSPICIENDVM AVDIENDVMQVE PRAEBVISSE. §. 5-38. IDQVE DEI IPSIVS EX NVTV §. 39-41.

* *

SECTIO. I.

PRAECEDENS SCISCITATIO SAVLIS DE PROELII CVM PHILISTAEIS EVENTV. §. 5-26.

§. V.

Interrogans. Is, qui ad apparitionem Samuelis defuncti occasio exstitit, fuit SAVL, per 38. annos rex Israelitarum, qui אבות, homines, qui iactitabant, se manes elicere, & ex iis futura praenoscere posse, similisque vanitatis homines ידענים e regno eiecerat, solis Prophetis retentis. Tria erant, quae male afficiebant animum Saulis. 1) *Propinquitas Philistaeorum.* Quum enim audiuisset, Palaestinos, Sonnam vsque vrbem progressos, castra ibi metatos esse: & ipse cum suis copiis illuc occurrerat, atque iuxta montem quendam, Gilboa dictum, castra e regione hostium posuerat. 1. Sam. 28. 4. 2) *magnitudo exercitus hostilis*, quae reputantis animo insignem trepidationem iniecit. versu 5. 3) *silentium Dei*, ante aliquod tempus consulti. v. 6. Illud pristinum silentium, irae diuinae nondum placatae documentum, tantum valuit apud Saulem, vt etiam nunc responsionem desperaret, atque ideo ne tentaret quidem

dem Deum rogare denuo. Cupidiſſimus tamen non ſolum ſciendi euentum, vt ſolent eſſe φιλισήμονες omnes, in margine magnorum conaminum conſtituti, verum etiam remedium reſciſcendi, quo eluctari poſſet e periculo, vid. v. 15. contulit ſe ad mulierem proximam, habentem *obh*, vt vel ſic quaedam inſtantis fortunae indicia reportaret.

Exſiſtit ἐναντίφωνες inter 1. Sam. XXVIII, 6. & inter 1. Chron. X, 14. Mireris enim, illo loco dici ישאל שאול ביהוה *Quaeſiuit Saul ex Domino;* hoc autem loco dici לא דרש ביהוה NON quaeſiuit (reſponſionem) ex Domino. Poteſt illa difficultas quidem ita e medio tolli, ſi dixerimus, vltimo loco verbum דרש (vt ſolemne eſt in verbis. Vide SALOM. GLASSIVM *in Philol. Sacra Lib. III. Tract. III. Canone XIIII. p. 779.*) accipi debere cum certa *qualitate*, & quaſi dici: Non interrogauit Jehouam *iuſto modo.* Nempe non rogauit eum 1) animo *pœnitente* ac *fideli.* Quod vero non fit ex animo, perinde eſt, ac ſi non fiat. 2) Non rogauit per *Ephod* conueniens; adeo vt iſta interrogatio indigna ne reputanda quidem in foro diuino pro interrogatione ſit. Tenendum enim eſt ex 1. Sam. XXIII, 6. Abiatharem ſecum abſtuliſſe *Ephod*, amiculum ex laua hyacinthina, purpurea, coccinea & byſſo retorta, pectorali חשן *locutorio*, cui XII. gemmae, per 4. ordines digeſtae, inſertae erant, inſtructum.

Sed, ſi quid iudico, poteſt etiam diuerſitas narrationis ſacrae conciliari *diſtinguendo tempora.* Locum enim priorem reddideris per *plusquamperfectum*, ita quidem: Saul *quaeſtionem detulerat ad dominum*, nempe per ſacerdotes e ſtirpe Eleazar, in ea contra Philiſtaeos expeditione, quae 1. Sam. XXIII, 28. legitur. *Sed dominus ei non* RESPONDERAT *neque per ſomnia, neque per Vrim*, in alio Ephod, quod confecerant, *neque per Prophetas*, ſi quidem nimis immerſo pertinaciae in peccatis. Quare, memor illius ſilentii diuini ſuperioris, SAVL, & praeterea a propria conſcientia conuictus, quod occiſione illorum LXXXV ſacerdotum e poſteris Ithamar

1. Sam. 22, 18 grauiſſime peccaſſet, atque ſerens ſpinas non poſſet metere vuas, ſuperſedit iterata interrogatione Deum ſalutare; ſed dixit familiaribus ſuis, *quaerite mihi mulierem*, habentem אוב, vt aliquo ſaltem modo comperiam, quid futurum ſit. Sunt plura loca, ideo difficilia, quod praeteritum loco plusquamperfecti arripitur. Poſterior autem locus nempe 1. Chron. X, 14. agit de interrogatione, *iſto praeciſe tempore*, *quo vltimum proelium* cum Philiſtaeis, ad Sunem ſubſiſtentibus, imminebat, non facta. Innuit hic locus hunc ſenſum: In vltimo periculo debuiſſet Saules Jehovam interrogare; Si tunc interrogando fideliter ad eum confugiſſet, Dominus ſane ei reſponſurus fuiſſet, nec euentus tam atrox fuiſſet. Non mera coniectura haec hariolor, ſed ipſe textus ſacer ita ſentire iubet. Is enim ita habet 1. Chron. X, 13. 14.: *Et moriebatur* maturius SAVL בְּמַעֲלוֹ propter *peccatum ſuum*, *quo peccauerat contra Dominum*, nimirum *contra verbum Domini*, *quod non cuſtodiuerat*, nempe mandatum de Amalekitis delendis; *Et praeterea* לִשְׁאוֹל בְּאוֹב לִדְרוֹשׁ *quaeſtionem inſtituendo in Ob* in vtre, *confugiendo*, inquam, ita vt fiduciam in his ſignis, ſuperſtitione, nemine ſed minime omnium rege digna, poneret, Jam attendamus ad v. 14. וְלֹא דָרַשׁ בַּיהוָה וַיְמִיתֵהוּ *Quum fiducialem quaeſtionem non feciſſet in Domino*, *ideo occidit eum.* Patet ergo, contemtum Dei effeciſſe, vt SAVLES, qui tamquam rex ab homine puniri non poterat, committeretur ei χρίματι, vt ſagittis vulneraretur, atque, in ſumma indignatione de clade diuinitus ſibi immiſſa & in deſperatione extrema, malo auſu vitam ſibi eriperet.

§. VI.

ב) *Interrogata.* Mulier, in oppido Endori a rege conſulta, vocatur 1. Sam. 28. 7. בעלת אוב. Quaſi ex condicto ſenatus interpretum, quidni vulgus? clamat, hanc appellationem deſignare *ventriloquam*, ſeu ἐγγαστρίμυθον eo ſignificatu, quod haec femina per proprium ventrem vaticinata ſit, & quod daemon ex obſcoenis mulieris partibus ſummiſſa voce locutus ſit. * Vocatur etiam in commentariis ἐγγαστρίμαν-

א) *Negatiue.* *non fuit ventriloqua.*

σείμαντις, vel, ſi mentio γαστέρος *vteri feminini* parum honeſta videtur, εὐρυκλῆς & σερνόμαντις *in pectore ſonum edens*. Temere autem ita ſtatui, age! videamus. Vnico hoc ictu contundi illa verſio poteſt, quod אוב non ſignificat *ventrem* femininum, partem illam humani corporis ſub diaphragmate, a pectore ad os pubis & coccygis protenſam. Notat enim inſtrumentum prorſus aliud, quod minime pars eſt humani corporis, VTREM nempe. Confuderunt viri docti *vtrem*, & *ventrem*, vtique diſcernendos. Maxime enim differre *cauitatem*, quae comprehendit ventriculum, inteſtina, hepar, lienem, aliasque corporis humani quasdam partes, differre, inquam, a ſupellectile culinario & domeſtico, ad haurienda & conſeruanda liquida vtili, quis eſt, qui non videat? Quum vero ne γεὺ quidem de *ventre* heic occurrat, nullum plane fundamentum habet iſta conuerſio, qua בעלת אוב exprimitur per *ventriloquam*. Si legeremus loco אוב vocem בטן, quae *vterum* maternum deſignat, vel ſi גחון *venter* inueniremus, ſeu vocabulum קרב *medium*, *interiora*, *thorax*, continens cor, pulmones, mediaſtinum, partem oeſophagi & aſperae arteriae cum eorum vaſis, vel ſaltem ſi voces גְּוִיָּה ſeu עֶצֶם, ſeu גוף offenderemus: non multum repugnarem, mulierem Endoream inſtrumento proprii corporis ſui diuinaſſe. Sed ſubſtituere ideam *ventris*, quam vſus vocis אוב, vnice ſpectandus, nequaquam fert, hoc eſſet arbitraria & nimis audax perſuaſio, ſed minime fidelis verſio nominis Hebraici, a ſcriptore ſacro adhibiti.

* Sic ad voeem אוב RASCHI: זה פיתום ששמן מכשפות ומדבר משחין ומעלה את המת בבית השח שלו *haec eſt praeſtigiatrix, cuius nomen Pithom, & loquens eſt ſummiſſione* ſeu murmuratione *ſua, & aſcendere faciens eſt mortuum in loco pudendi, quod ipſi eſt.*

Non negabo, vxorem illam פיתאם vocari posse, per א. a *celeritate* motionum nempe. Ad constitutionem vocis פִּתְאֹם *repente* concurrit sine dubio verbum Arabibus familiare ءَمَّ (taam) *ingeminato cursu post cursum venit* EQVVS. Ita quidem Pitoom conueniret cum voce חרטמים, itidem celeritate actionum & caerimoniarum insignes denotante.

** Subuenient, praeuideo, patroni gratuitae versioni suae analogia quadam, dicendo: Licet אוב non ventrem sed *vtrem*, follem, culeum, cadum denotet, credi tamen posse, quod per feminam בעלת אוב indicetur mulier, cuius venter INSTAR *vtris* afflata a daemone, & hoc afflatu distenta sit.

RESP. 1) Potest credi, sed reclamante potestate vocis אוב. Si autem lubet vobis precario sumere quaecumque, eia! cur non dicitis, notari mulierem, cuius *buccae* instar vtris inflatae fuerint, vel cuius collum instar vtris turgidum sit. Haec sumtio forte maiori specie se tueretur. Nam malae & collum, ope aëris flatu modificandi, cooperantur ad loquelam. Adeoque facilius animaduerteretur bucca, quod inflata esset, quam venter, ampla veste obtectus. Quis ad eum attendit, vbi sit fermocinatio? Analogiae rerum bonae sunt, si res ipsae probatae sunt, sed imbecilles sunt ad eas probandas. Vnde autem petetis sufficientem probationem, intumuisse ventrem fatidicae feminae, eumque tumorem ipsi a satana afflatum esse? Si indigitaretur id, quod vultis, scriptum sic esse deberet, ex analogia grammatica: fuit בעלת בטן כאוב *domina ventris sicut follis* seu vter. 2) Nec *inflationis* notio vlla dictione in textu subministratur. Cur igitur *inflatum* ventrem fingitis? Suntne vtres semper inflati? Dantur etiam vtres vinarii labentes, flaccidi, procidentia insignes. Cur ergo non placet dicere, בעלת אוב fuisse feminam collapsi vtris, premente eam diabolo? Non magis enim ista vestra, quam haec, hypothesis fulcitur.

§. VII.

Nec Pythonissa.

Alii reddunt בעלת אוב per *Pythonissam*, *spiritum Pythonis habentem.* Sed si quis has voces pro translatione il-

ne illarum Hebraicarum accurata haberet, nae is mirifice falleretur. Probatione hac vtor: 1) Si אוב & πνεῦμα Πύθωνος vnum idemque essent; Syrus interpres verba illa Act. XVI, 16. παιδίσκη τις, ἔχουσα πνεῦμα Πύθωνος *puella quaedam, habens Spiritum Pythonis*, non intermisisset vertere per ܐܘܒ, quia haec vox אוב Syriacae linguae, tamquam filiae, a matre Hebraea communicata, & maxime familiaris alias est. Habet autem ita ܐܝܬ ܠܗ ܕܝܘܟܢܐ ܚܕܐ ܐܝܬ ܠܗ ... *ancilla vna ..... & erat ei* rucho dekesmo *Spiritus diuinationis.* Ecce igitur, non adhiberi a Syro vocem *Obh*, vbi daemon manticus *Pytho* signandus, sed ܩܣܡܐ, conuenientem cum Chaldaica & Hebr. קֶסֶם Ezech. XXI, 21. XIII, 19. Deut. XVIII, 10. & Arabica قصم *fregit rem*, speciatim, vt diuulsae fuerint partes. 2) Significatus iste τοῦ אוב, quo denotaret haec vox *spiritum fatidicum* malignum *, nusquam locorum ** reperitur. In Lexicis quidem multis reperitur, etiam in EDMVNDI CASTELLI *Lexico Orientali Heptaglotto* (Londini 1669.) pag. 54. Sed Lexica confici debent ex auctoribus atque niti auctoritatibus allegabilibus; quae quidem heic desunt. Vsus vocabulorum est dominus Lexicorum, non vice versa. Confer dicta pag. 3. 4. & §. 6.

* Spiritum PYTHONIS esse *non bonum* spiritum, illustre est ex Act. XVI, 16. & quidem ex imposito ei silentio. Si bonus hospes fuisset, Paulus, (qui Phil. I, 18. scribit, se laetari, quocumque modo euangelium promoueatur) non repudiasset communionem cum illo Pythone. Sed licet hic verissime clamaret: *hi homines serui Dei altissimi sunt, qui annuntiant vobis viam salutis!* Paulus tamen διανοητὸς erat, cum taedio audiuit hanc commendationem. CHRISTVM imitatus, qui diabolis, profitentibus, *ipsum filium Dei esse*, silentium imperauit, eiecit hunc spiritum Pythonis ex ancilla, ne suspecta fieret euangelii doctrina hoc teste, qui videri volebat caussae particeps.

** Miran-

** Mirandum eſt, feminam ἐγγαστρίμυθον & feminam πνεῦμα Πύθωνος ἔχουσαν a tam multis pro vna eademque notione haberi. Sed maxime diuerſae ſunt. Illa enim *obſcurum* ſonum in viſceribus vel ventre format; & neſcio, an ſine diaboli ope id fieri nequeat. Haec vero 1) per *malum ſpiritum* inhabitantem, 2) *clariſſime*, vt alii minime μογιλάλοι homines, eloquitur & clamat; ceu exemplum πυθολήπτου ancillae Act. XVI, 16. manifeſtiſſimum reddit. Niſi fallor, decepit interpretes ſonus vocis PYTHO, quam propter ſimilitudinem quandam deriuarunt a פּוֹת vel פּוּת. Significat haec vox, (vnde Latina *pod* ex,) *oſtium*, *aperturam* ἀισχυνώματες, Jeſ. III, 17; videturque mihi deſcendere a radice פָּתַח, quae iam Ebraeis non familiaris eſt. Quia vero in Hiphil Gen. VIIII, 27. in verbis: יַפְתְּ אֱלֹהִים לְיֶפֶת DILATET *Deus Japheto* (ſcilicet ſpatium, tentoria Semi, euangelii,) occurrit, facile apparet, Kal פָּתַח olim ſignificaſſe *late patuit*, *amplus fuit*. Quocum conuenit verbum Arabicum فَتَّتَ per *Elif*, *fregit*, *propulſauit*, *excreuit ſtercus*; Hebraicum item פתה *ſeductus* eſt. Crediderunt igitur multi, mulieres, per *Puthonem* vel *Pythonem* vaticinantes, eſſe eas, quae per pudenda ſortes edebant, ſiquidem פּוֹת vel פּוּת *ſordida* illa deſignauit. Operae pretium non eſt, diſquirere, an vox Graeca BATαλος diminutiuum quoddam ſit illius Hebraici vocabuli פּוֹת *Pot*. Refert certe PLVTARCHVS in vita *Demoſthenis* (editionis a me Helmſtadii 1747. curatae) pag. 110. δοκεῖ τῶν ὄντων ἐμπρεπῶν τι λεχθῆναι τοῦ σώματος μορίων παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς τότε καλεῖσθαι BATαλος „Videtur pars quaedam corporis, quae honeſte nominari nequit, BATalus tunc appellata eſſe.„ Cur germanica vox **Bettel** contemtam rem notet, hinc facile patet.

§. VIII.

Nec laternam magicam adhibens.

Dicit Joh. Phil. Conr. NAD: *forſitan iſtiusmodi repraeſentatio facta eſt, qualis hodie adhuc beneficio* LATERNAE MAGICAE *fieri aſſolet. Tempus ſane, quo Saul mulierem adiit, perquam opportunum rei erat. Venit enim noctu. Quis vero eſt, qui neſciat, magicae laternae vſum noctur-*

nocturno tempore oſtendi? Opinatur igitur בעלת אוב forte reddi debere domina *laternae magicae.* Sed neſcio, ex quonam angulo hoc ſuum *forſitan* vir repetierit. Coniecturae debent rationem quandam in verbis textus habere; haec hic habet nullam. Numquam enim probari poteſt, אוב ſignificare *laternam magicam.* Num tempore Samuelis iam exſtiterint iſtae camerae obſcurae portatiles, megalographicae, nunc ne inquiram quidem. Qui hiſtoriam Optices perſcripſerunt, exiſtimant, laternam magicam intra hunc terminum a. 1657. & 1665. inuentam eſſe. CASPAR SCHOTTVS enim, qui vniuerſa optices Curioſa a. 1657. deſcripſit, eius nullam iniicit mentionem. (Licet is & DAN. SCHWENTER in *Deliciis mathematicis* cameram *antiquam* memoret, h. e. telescopia.) DE CHALES primus eſt, qui in *mundo mathematico* memorat, ſe anno 1665. aliquam iſtarum lucernarum vidiſſe apud virum doctum Danum. 3) *Temporis* cauſatio nihil efficit. a) Si ea omnia, quae noctu fieri *poſſunt*, & ſolent, noctu reipſa heic facta eſſe, contendes: innumera, dices, ab hac muliere praeſente Saule facta eſſe. b) Sed non vxor ex *ἀδυναμίᾳ*, ſed Saules, opprobrium timens, elegit nocturnum tempus. Nec tam hebetis ingenii fuit Saules, vt crederet, figuram illam ſine oris motu loqui poſſe; nec tam fuit infans, vt iſto *μορμολυκείῳ* terreretur, humique proſterneretur. Infelix igitur artis combinatoriae exercitium, lucernae magicae icunculam cogitare, vbi de peccato, legibus diuinis grauiſſime prohibito, Saulique tam ignominioſo atque exitioſo, agitur.

§. IX.

Tutiſſimi ibimus, quando non ex imaginationis libidine, & arbitrii pruritu, ſed ex eo ipſo nomine, quo Spiritus Sanctus abſurdam feminam, vt ſimilem ſuperſtitionem fugeremus, nobis propoſuit. Vocatur ea autem

ב) *Poſi-*
tiue.
fuit poſſi-
dens ol-
בעלת lam, *vel*

aliud vas maiusculum, atque ex eo, aqua repleto, omina capiens.

בעלת אוב, quae verba sic reddo: *domina* 1) ORBAE, *magistra* 2) VTRIS & 3) generatim VASIS MAIORIS, liquidis capiendis destinati, siue illud sit *lebes*, siue maior *olla*, siue *culeus & pellis*, interdum vimine * firmatus & ad certam formam restrictus, siue *gutturnium*, siue *aqualis*.

* In BAVA KAMA fol. LXXXI, 1. אוב est *germen rami tenuioris*; (quasillum efficiens.)

§. X.

Hoc declaratur fusius, *excussione vocis* בעלה

Vox בעלת nullam difficultatem ciet. Satis enim liquidum est, eam in huiusmodi cum genitiuo constructione de possessione & vsu explicandam esse. Ecce exempla. 2. Reg. I, 8. בעל שער dominus pili. i. e. *habens* & adhibens pilos, pilosus. Prov. I, 17. בעל כנף dominus alae, i. e. *habens* alas, iisque vtens. Es. XXXXI, 15. בעל פיפיות dominus rostrorum, i. e. *habens* rostra. Dan. VIII, 6. בעל הקרנים dominus cornuum, i. e. possessor cornuum, cornupotens. Gen. XXXVII, 19. בעל החלמות dominus somniorum, i. e. habens somnia, somniator. Cap. XLIX. 23. בעלי חצים domini sagittarum i. e. *habentes* sagittas, earumque *vsum* facientes. Prov. XXII, 24. ne commiscearе cum domino irae, i. e. *vtente* ira, seu iracundo. Cohel. XII, 11. Femininum occurrit 1. Reg. XVII, 17. בעלת חבית domina domus, h. e. *habens* domum eamque curans, materfamilias. Simili ratione בעלת h. l. reddi debet: femina 1) *habens* ollam maiorem, vtrem maiorem, cortinam, gutturnium, vel quodcumque vas maius, siue dolium coriaceum 2) *negotium cum eo faciens*, rei ollariae dedita, magistra per vas quoddam, liquido refertum, diuinans. Quomodo autem id adhibuerit, num coxerit aquam, num caput hominis mortui cuiusdam ollae fundo iniecerit, num pulsauerit dolium, quae verba,

quale

quale carmen magicum iterauerit, vel quae alia ſuperſtitioſarum actionum monſtra deſignauerit? haud facile quisquam hodie dixerit, nec ſcire opus eſt.

§. XI.

Operoſioris indaginis res eſt vox אוֹב, perperam huc vsque a lexicis & commentariis translata. Notat ea VTREM, & generatim *vas* liquidorum. Caue autem credas, lector! ſi vtrem legis, intelligi tam paruos vtres, quales in Germania, & heic etiam Helmſtadii, adhiberi ſolent, quando in exſtinguendis incendiis laboratur. Hi ſunt ſitulae minutae, amphorae vna manu portatiles. *Obh* ſeu *Ob* autem eſt receptaculum maius. Differt ab אֲשִׁישָׁה *tagena lati fundi*, tantam vini menſuram continente, quantam quis vno die bibere poſſet. 2. Sam. VI, 19. Cantici II, 5. Hoſ. III, 1. *Bava baſ. 144. 1. Peſach. f. 36. 1.* Differt a גְּלָה lecytho, lenticula, phiala Zach. IIII. 3. Cohel. XII, 6. Differt a פַּךְ vasculo balſamo pleno (non oleo vnctionis, vt קֶרֶן) 1. Sam. X, 1. Differt a סִיר olla minori, a cyatho, quo vinum in ſacrificiis libabatur, PLIN. Hiſt. Nat. XXXV, 12. a ſimpulo fictili vel ſimpuuio, quod VARRO dicit eſſe modum matulae; ab אַמְתַּל, Arabice etiam ناطل, quod eſt nomen vaſis, e quo lauant. Sed non niſi capacitas τὸ *Ob* diſtinguit ab illis iam nominatis. Differt, inquam, ab illis vt *maius* a *minoribus*. Formaturus igitur ſibi ideam τῦ אוֹב, cogitet vtres illos ampliores, quibus hodienum Turcae vtuntur. Hi enim oliuum, aquam, vinum, aliaque fluidorum genera vehunt & conſeruant in *vtribus*, bene conſutis, & in ſutura ſeuo illitis, qui ſine detrimento proiici in terram, tundique poſſunt. CHRISTVS etiam per ἀσκοὺς dolia vinaria ex corio parata innuit. Matth. VIIII, 17. οὐδὲ βάλλουσιν οἶνον νέον εἰς ἀσκοὺς παλαιούς· κ. τ. λ. Conſentientem

vocis אוֹב

hac in re mihi habeo RASCHIVM. Is enim ad vocem אבות, pluralem vocis אוב, Job. 32. 19. ita commentatur: Sunt נארות עשויין כקומת ארם גבוהים OB *ſunt vaſa facta ſecundum* STATVRAM & altitudinem VIRI, *qua altitudinem ſuam.* Locus Jobi idem patefacit.

Per metonymiam vox אוב degenerat in adiectiuum quaſi, & virum vel feminam indicat, quae cum *vtre*, *olla*, *vaſe* rem facit, *Ollarem* 1.Sam. XXVIII,3. Lev.XX, 27. Quemadmodum *cognomen*, non ſolum eſt ſubſtantiuum, verum etiam interdum adiectiue accipitur. Nota ſunt ſexcentena exempla alia ſingulis in linguis, non modo Orientis, ſed etiam Occidentis.

§. XII.

Senſus. Haec verſio natiua tam facilem fundit ſenſum, vt non videam, cur repudianda, atque cum incommodiori ex alto petita eſſet commutanda. Dum ſcriptor ſacer feminam illam vocat dominam vtris, ollae maioris, & vaſis amplioris, in quod liquida deferri ſolent, manifeſtiſſime, declarat, hanc mulierem cum olla quadam, ſeu vtre, & dolio coriaceo negotium feciſſe ſuperſtitioſum.

Vnde autem eſt, quaeris, quod tanta interpretum cohors in eo conſentiat, *vt hanc mulierem nominent* ἐγγαστρίμυθον?

RESP. Niſi me omnia fallunt, verſio Alexandrina, eaque ſiniſtre accepta, occaſionem huic opinioni dedit. Ea enim 1. Sam. XXVIII, 7. ſic habet: Ζητήσατέ μοι γυναῖκα ἐγγαστρίμυθον· καὶ ἔπαν οἱ παῖδες αὐτοῦ πρὸς αὐτὸν, ἰδοὺ γυνὴ ἐγγαστρίμυθος ἐν Ἀενδώρ. Ipſe dico, quod Alexandrinus interpres dicit, nempe feminam illam fuiſſe ἐν γαστρὶ μύθου. Sed vox ἐγγαστρίμυθος in ſuas partes diſſecanda, nec pro vnica voce, ſed pro tribus, ſeorſim ſumendis, habenda eſt. Ἐν γαστρὶ μύθος femina fuit *per gaſtrum* (h. e. illud vas, Hebraice OB dictum) *vaticinans* ſeu loquens. Μύθος enim non ſolum vocem, verum etiam vatem nugaculum denotare, itemque *adiectiue* interdum ſumi, pro *locutorius*, *a*, *um*, Graecae linguae peritis conſtat, eiusmodi πολυσήμους voces plures bene recordantibus. Ἐν γαστρὶ autem non a γαστὴρ *venter*, ſed a γαστρὸν & γαστὴρ *vas* deriuandum eſt. In IOHANNIS SCAPVLAE

LAE *Lexico Graeco* (Basil. 1615) *p. 301.* sic habes: „γάστρη & γάστρα fundum vasis. Vt γάστρη τρίποδος, apud HOMERVM. Dicitur & de naui, significatque eius *fundum, carinam,* vel, vt alii vocare malunt, *alueum.*„ Vsurpatur igitur illa vox de maiori spatio, vasis limitibus circumscripto, sicut אוב etiam maius vas denotat. In BASIL. FABRI *Thesauro eruditionis scholasticae* (editionis Joh. Matth. Gesneri) pag. 1103. 1104. ita legimus: „GASTER, tri, m. seu GASTERVM i. n. est *vas* fictile, rotundum *ventricosum.* GASTRVM, i, vel GASTRA, ae, est *vas ventrosum.* Vid. Bosch. ad Petron. c. 71. pag. 391. & CASAVB. ad Vespas. Sueton. c. 23.„ Confer GESNERI *Thesaurum linguae Latinae nouum* Tomo I. sub hac voce. CAROLI du FRESNE *Glossarium ad Scriptores mediae & infimae Latinitatis,* editionis recentissimae *Parisinae Monachorum ordinis S. Benedicti e Congreg. S. Mauri,* sub voce *Gaster.* In editione, quae Francofurti ad Moenum 1651. prodiit, pag. 598. sic lego: GASTER vas aeneum cum fundo angusto. In gloss. Arabico-Lat. Dioscoridi γάστρα. Marcellus Empiricus c. 8. *Eandemque* (concham) *supra* GASTRVM *lotii virilis ex ea parte, qua melle illita est, superpone ad lotium versus.*

Tantum igitur abest, vt versio illa, quae septuaginta-viralis audit, mihi contraria sit, vt potius idem, quod ego, propugnet; si modo recte, & sine distorsione, sine synchysi & crasi accipiantur haec verba: Μάντευσαι δή μοι ἐν τῷ ἐγγαστριμύθῳ vaticinare mihi in olla locutoria seu (ἐν) PER (γαστρὶ) *ollam* (μύθῳ) *diuinatoriam,* fabulantem, vmbratice quasi sermocinantem indiciis quibusdam, in aqua conspicuis.

Si fieri potuit, regeris, vt tres voces ἐν γαστρὶ μύθος in vnam contractae & pro vnica habitae sint; (vt ὡσαννὰ e Ps. CXVIII. 25. 26. ex הושיעה & נא coaluit Mat. 21, 9.) *mirabile tamen est, feminam illam* πυθίαν plerumque *nominari.*

RESP. Et ipse ego eam voco πιθίαν; ita vt per duplex iota scribatur haec vox. Videtur primus iste interpres, quem reliqui tamquam ducem secuti sunt, dixisse, illam feminam fuisse πιθίαν; sed deinde erratum est in vna vocali, scriptum est πυθίαν. p. 16. Quomodocumque haec permutatio litterae υ & ι se habeat: equidem contendo, feminam illam, quam consuluit Saules, merito appellari posse πιθίαν, hoc est, doliarem. Graecis

cis enim πίθος est *vas, quo potabilia vel alia liquida continentur*, a πίειν *bibere*. HESIODVS dierum lib. III. vbi de πιθοιγίᾳ agit, & decimum quartum & quartum diem commendat, quasi aptiores ad cados retinendos, ita canit.

Πῶυροι δ' αὖτ' ἴσασι τριςεινάδα μηνὸς ἀρίστην
Ἄρξασθαί τε ΠΙΘΟΥ, καὶ ἐπὶ ζυγὸν ἀυχένα θεῖναι ... βοῦσι. Pauci sciunt .... incipere (h. e. anfangen) DOLIVM & colla ponere sub iugum bobus. Et mox post haec pergit:

Παῦροι δὲ τὸν ἀληθέα κικλήσκεσιν
Τετράδι δ' ὄιγε ΠΙΘΟΝ. περὶ πάντων ἱερὸν ἦμαρ.

Quarto vero die aperito DOLIVM; prae omnibus sacra dies est.

Alibi in Erg. ἀρχομένου δὲ ΠΙΘΟΥ καὶ ληγόντος κορέσασθαι. *Homerus* in Iliad. Δοιοὶ γάρ τε ΠΙΘΟΥ κατακείαται ἐν Διὸς οὐδει.

Inde etiam πιθίσκος seu πιθάκνιον *doliolum, vas minus, πιθίτης dolii figuram gerens.* Quocum non nihil conuenit πιδύω *scateo, aquis plenus sum.* Exprimit igitur πίθος vocem Hebraicam אוב & femina πίθια idem est, quod בעלת אוב *domina dolii & vasis*, quo rem exercet. In fine huius gemini *Scholii* stipulor, quod non nisi *coniecturae* quidpiam protulisse, velim videri.

§. XIII.

Probatur, quod אוב VAS *indicet, ex Iob. XXXII, 19.*

Quum vero cardo rei in eo vertatur, vt certum sit, אוב nihil aliud quam *vtrem, pellem, vas coriaceum* vel *aliud buttae maioris* genus significare, efficiendum est, vt euidens sit, hunc significatum minime a me fingi, sed veriſſimum esse. Euinco eum *ipso vsu biblico*, qui in docendis potestatibus vocum biblicarum vtramque merito paginam facit. Euoluamus nimirum illustrem locum, qui habetur IOBI capite XXXII, 19. Ibi vox אוב in *plurali* occurrit, notatque VTRES, *vasa maiora* הנה בטני כיין לא יפתח כאבות חדשים יבקע. *Ecce venter meus est instar vini, quod non aperitur, & velut* VTRES *recentes*, (אֲשֶׁר) quos *rumpi fit*, seu qui rumpuntur. Vel hoc vnicum * exemplum, si certum est, sufficere potest ad id edocendum, quod innuo.

* Sunt

* Sunt praeter hanc vocem אוב 1489. voces, quae ſemel tantum in bibliis ſacris & rariſſime occurrunt. His vero id, quod ἅπαξ λεγόμενα vel bis tantum obuia ſunt, minime fraudi eſt. Nec enim poſſunt in auctore tam modico, qualem biblia Hebraica conſtituunt ſingulae voces ſaepiſſime recurrere. Non niſi elementa יֵשׁ"רָאֵל in Bibliis Veteris Teſtamenti continentur, ex canone Judaico יש ששים ריבוא אותיות לתורה *ſunt 600000 litterae in lege.* Voces autem (mirum, quod *Maſora* de earum numero taceat) in paginis ſacris indiuiduas forte non vltra 5000 habes, demtis repetitionibus; vti in N. T. 4956. Sed offendimus etiam אבות Num. XXXIII, 43. 44. itemque Num. XXI, 10. Erat *obot* manſio ſeu ſtatiua XXXVII. Iſraelitarum, in deſerto proficiſcentium.

§. XIV.

Certam autem omnino illam poteſtatem vocis אוב eſſe, nec אבות ſecus, quam VTRES, OLLAS terginas, *dolia coricacea*, VASA MAGNA verti debere, ſole meridiano clarius eſt e compage orationis. Fac, vocabulum אוב nulla analogia, nullis praeſidiis e lingua Arabica illuſtrari poſſe, & per ſe videri ambiguum: vinculis tamen contextus & antecedentium & conſequentium tam arcte premitur, vt ſtatam formam aſſumat, ſuis conuenientem vicinis. Nam in eiusdem commatis 19. hemiſtichio priori ſermo eſt de *vino incluſo* & in vaſibus coecis contento. Verſu etiam 17. 18. legitur: *Reſpondebo etiam ego portionem meam; Indicabo ſententiam etiam ego.* Quae ſequuntur, eandem ſignificationem ſuadent. Sic enim dicit Elihu idem: *Loquar, vt laxum fiat* ſeu reſpiret *mihi*, quaſi per ἀσκὸν & cantharum conſtricto & incarcerato; *aperiam labia mea* (cum παῤῥησίᾳ citra formidinem loquar) *& reſpondebo*, e pectore exhalabitur per porum & meatum oris mei vapor ſapientiae meae, quaſi ex vtre, huc vsque occluſo vndique. Quum igitur non deſit, ſed clariſſimis radiis pateat vis vocis

eis אוב in ipſo codice Hebraeo, neſcio cur eam faſtidiremus, & loco eius, quem plane oculis noſtris videmus, comminisceremur aliam, nullo vſus ſuffragio communitam.

Tam perſpicuum eſt, voce אוב in loco citato *Vas* liquidorum notari, vt omnes verſiones id obſeruarint. Chaldaica reddit לגינין *lagenas*, Gallica *bouteilles*, quae vox buttula conuenit cum Βύθος profunditas, vt Lycophron v. 197. *fundum ollae* appellat. Anglica ſic transfert: *my belly is as wine*, (which) *hath no vent, it is ready to burſt like new* BOTTLES. RASCHI explicat voce נארות vid. §. XI. quae occurrit Joſ. VIIII, 4. & 13. Verſio Ibri-Germanica (Amſtelod. 1679.) Gleich als ein neue Legel möcht er zuſpringen. LVTHERVS: der die neuen Faße zerreißt.

§. XV.

Idem confirmatur 1) ex Arabismo, in quo radix vocis אוב *detegitur.*

Praeſidium huius ſignificatus, quem voci אוב § 13. aſſignaui, peti poteſt e reliquiis florentiſſimae linguae Hebraicæ, quae in linguis cognatis, Arabica & Syriaca, deprehenduntur, quippe quæ potius diuerſæ dialectus, quam diuerſiſſimæ ab Hebraea linguae ſunt. In bibliis Hebraicis, in hoc vnico & modico ſermonis Hebraei antiqui auctore claſſico ſuperſtite, non omnes voces ſaepius recurrere, nec omnium vocum radices exſtare poſſunt. In earum vocum numero, quarum radices fruſtra in codice ſacro quaeruntur, eſt etiam vox אוב. Confugiamus igitur a paupere matre ad filiam, Arabicam linguam, multarum vocum Hebraicarum conſeruatricem, vel valoris earum confirmatricem.

Atqui reperimus apud Arabes radicem أَأَبَ aub, (vel vt hamzatum ain ſit verbum ءَأَبَ *aab*, vbi tamen concipiendum ſit *aub*, vt notum grammaticis) quae denotat in coniugatione I. OCCĬDIT, ad occaſum ſe inclinauit. Ecce! quam apprime conſpiret ſignificatus hic cum allata §. 9. 13. ſignificatione vocis אוב. Nam vter ſubmergitur & occidit

dit quaſi, inter hauriendi niſus. Docent itineraria, alligari equis magnos vtres apud Turcas, immitti equos fluvio vel ſtagno, nec infuſione ſed ſubmerſione vtres impleri. Idem verbum quiescens concauum أوب in eadem coniugatione *Phaal* ſpeciatim deſignat *noctu venit*, & quidem *aquae petendae gratia.* Neque in hac coniugatione ſolum obtinet haec idea aquatilis, verum etiam in coniugatione quinta & octaua أوّب notat *adiit aquam*, *venit adaquandi ergo.* Hinc iterum collige rationem, cur אוב denotet *ollam*, *vas loreum*, *aquae capiendae* deſtinatum. Eſt enim vter proprie *inſtrumentum*, apud orientales populos maxime neceſſarium, *mediante quo aquam vel excipiunt*, *vel iam hauſtam conſeruant.* Formant inde Arabes ايّاب *ajjab* VTER. Vide IACOBVM GOLIVM in *Lexico Arabico*, qui memorat „ ايّاب ex Camuſo idem eſt, quod سِقاءٌ VTER LACTIS vel AQVAE, in quo agitatur lac, vt coeat in butyrum.„ Conf EDMVNDI CASTELLI *Lexicon Heptaglotton.* Londini 1696. pag. 52. 53. In his regionibus vocant Butter-Faß. In orientis plagis huiusmodi vaſa non e ligno ſed corio confecta eſſe, retulerunt eo peregrinati. Fauet igitur Arabismus, teſtis eorum, quae olim in Hebraismo vſitata fuere, vt credamus, אוב denotaſſe Hebraeis *maius quoddam* VAS *liquidorum.*

Probe quidem noui, quod eadem haec vox أوّب ſignificet

A) *redire ad DEVM, conuerti ſerio ad Deum.* Et ab hac arabica radice deriuandum eſſe puto nomen איוב IOBI, in Arabia deſerta habitantis, in quo nomen & omen fuit. Reddendum illud nomen IOBVS eſt *Conuerſus.* Namque Gen. XXXXVI, 13. e filiis Iſaſchar vnus appellatur יוֹב. Atque idem nominatur Num. XXVI, 24. יָשׁוּב Hinc elucere arbitror,

 datam

datam *Jobi* verſionem bene ſe habere. Sed haec obiter. Illum vero ſignificatum *conuerſionis* non habet iſtud verbum niſi in *ſecunda* coniugatione. Immo vero ſalua manet iſta idea *occaſus*, vt appareat, hanc notionem *reditus* ex iſta fluxiſſe. *Redire enim ad DEVM*, quid aliud eſt in homine moriente, quam OCCIDERE, ratione huius ſaeculi habita? Vel *occidere facere* priorem ſtatum, hoc eſt, RESIPISCERE. Nec ignoro, denotare illud verbum in coniugatione ſecunda

B) *laudauit Dominum.* Inde frequens أَوَّاب qui Deum laudat. Sed videtur hoc modo radix vſurpari tantum *poſt peractum iter.* Adiici ſolet سبحان الله *ſabban allahi* - - - laudo te Dominum *(ſummum & omnipotentem.)* Me autem iudice, hic ſignificatus fere aequivalet iam allato ſub forulo A), qui *conuerſionem* ad Deum indicabat.

Optime vel hic vltimus conſpiraret cum notione *occidere* in §. adducta, reliqua omnia etiam plana forent, ſi tibi, lector! placuerit cum *Ditm.* HACMANNO in *praecidaneis ſacris* originalem formalem & primarium vocis أوب valorem reuocare ad PETERE. (Quemadmodum ܐܘܦ Syris in *Ethpaal* notat *concupiuit*, *deſiderauit*. §. 18. Schol.) Iam enim non difficilis eſt reſponſio, quo pacto אֹיֵב *inimicus* concilietur cum iſto ſtemmate? Eſt enim אוב qui alium petit. Facile conciliatu nomen אֵבֶה Job. VIIII, 26. הלפו עם אניות אֵבֶה *tranſierunt (dies mei) ſicut naues* EBE, h. e. ab أوب *ad occaſum inclinare*, *curſum mox perfeciſſe* (ſeu ab harmonico verbo أَبَّ *accinxit ſe ad iter)* ſicut naues expeditiores, actuariae, ad iter accinctae, citiſſime e conſpectu occidentes ob celerrimum curſum. Tentemus cetera. *Adiit aquam* nihil aliud eſt, quam iuit *aquam* PETITVM. *Laudauit Deum* nihil aliud eſt, quam Deum petiit encomiis ob beneficium, vel petiit aliquid a Deo. *Inceſſit* & *iter fecit*, idem eſt ac PETIIT *locum*, per vniuerſum diem, & noctu ſubſtitit, quam ſignificationem radix etiam habet in coniugatione *ſecunda.*

§. XVI.

§. XVI.

Dixi אוב notare receptaculum, ſeu *vas liquidis* deſtinatum. Sicuti igitur ideam *vaſis*. §. 15. vidimus in radice Arabica: ſic ideam liquidi etiam hoc ſapit, quod habemus etiam *fluuios* Arabiae a radice אב denominatos. *Comparatio cum* אבי vel אבה *fluuio.*

Dicit BOCHART *in hierozoico Part. II. p. 171.* آبّي ABBE *ſunt duo fluuii.* Et NOLDIVS *de particulis* in *Annotat.* 1824. ſcribit: *Per* אבה *fluuium Arabiae vel Armeniae intelligunt Aben Ezra, Iarchi & alii.* Fluuiorum aluei, tamquam concilia fluidorum, quamnam ſimilitudinem habeant cum vaſe maiori liquidorum aperto, quiuis videt.

Conferamus etiam vocem Arabum أُوبٌ *aubon* vel rectius AVB, (quia non opus eſt, ad Nunnationem, a genio ceterarum Orientis linguarum abludentem, attendere). Haec inter alias ſignificationes (tractus, celeritatis, regionis) vindicat ſibi eam, qua *nubem* indicat. Nubes autem eſt *collectio aquarum*, conciliabulum nebulae ſeu vaporum aqueorum, numquam vltra 8 ſtadia, inquirente KEPLERO, a nobis remotum. Nubes ſunt guttae quaſi in *vtrem* conuolutae. & AVB.

Haec comparatio ipſi ſcripturae ſacrae ſolemnis eſt. E. c. Job. XXXVIII, 37. נבלי שמים *vtres caeli*, h. e. nubes velut in vtres digeſtae. Parum igitur hanc ideam ab idea vtris discrepare, patet:

§. XVII.

E *Perſica* quoque lingua lux oboritur voci *ob*, qua *vas* denotari dixi. Nam 1) آبْ *ab* vel *ob* Perſis eſt *aqua*. Inde אב בש *hauſtor aquae.* conf. Verſio Gen. I, 2. VI, 17. Quomodo huic voci aliae ſeparatim iungantur, patet ex *2) Illuſtratio e Perſico idiomate.*

Dictionario Persico, opera IACOBI GOLII & EDMVNDI CASTELLI adornato, & annexo CASTELLI *Heptaglotto* post pag. 4008. Vox 2) ابت *obt* Persice indicat *gutturnium, aqualem*, egregie conueniens cum אבת. Iobi XXXII, 19. Adiicerem, nisi haec sufficerent, multa alia, ex eodem illo stemmate prognata, e. c. آبْخازَهْ VAS, *in quo lavantur vestes vel manus*, LABRVM, MALLVVIVM, vel *e quo bibitur aqua.* آبْخوْرِ *aquarium, labrum aquae, vas potorium*, speciatim *aquae.*

§ XVIII.

3) e Chalduica & Syriaca lingua.

Abeamus etiam ad Chaldaeos, & Syros, vt patescat, probabile maxime esse, quod אוב designet VAS quoddam maius. Inuenimus autem apud illos vocem עִבְּא h. e. *sinus.* Syris autem est ܥܒܐ *(ubo) quasillum, saccus coriaceus*, * *marsupia* maiora. Confer CASTELLI *Lexicon Orient. Heptagl. p. 2689.* Ouum ouo non est similius, quam Hebraica vox אוב significatui harum duarum modo allatarum.

Loco א enim heic occurrere ע, nullam iniicit difficultatem, quum vel tironibus harum linguarum notum sit, quam facile אהחע permutentur, vel in vna eademque lingua, multoque facilius, quando vox Hebraea ad Chaldaeos & Syros transiit.

* *Amice confluit cum significatu* vocabuli אוב, §.9.12.13.15.dato, valor *Syriaci* ܐܒ quod notat *sitire.* Vid. Jes. 26.9. in B.Polyglottis, vbi ܐܒܥ est *concupiuit.* Ex אוב VASE, *quo aqua detinetur*, bibere voluit, quid aliud est, quam *desiderauit?*

Sicuti vas *cauitas* quaedam est: Syris *Abubo*, h. e. *Ob* duplicatum, nempe ܐܒܘܒ est instrumentum *excauatum*, musicae sacrum,

ſacrum, *organum*, tibia 1. Cor. XIIII, 7. אֻגָב ,כִּנּוֹר ,חָלִיל *ſiue* TIBIA, *ſiue cithara.* Conf. *Dauid de Pomis* f. 1. c. 2. Sed haec & ſimilia facile mitto.

§. XIX.

Componamus his harmoniam Graecae linguae. Sunt enim Graecis 1) ὦθοι, teſte HESYCHIO, τόποι μεγαλομερεῖς, *loca capaciora.* Quid hoc aliud eſt, quam vox אוב quae *dolium* ſignificat? §. 11. 13. 2) Etiam vox ὠθὴ (Oſe) multum analogiae, qua ſonum & poteſtatem, praebet. Ea enim ſignificat a) *ſpatium ſeparatum, & cinctum campum, receptaculum maiusculum.* Quamquam per metonymiam b) id, quod eſt in iſto ſpatio*, deſignat, nempe *tribum*, partem populi in certas claſſes diſtincti. Concinit 3) ὀπαῖα *fictile* VAS, in quo foramen eſt, ſeu DOLIVM foramen habens. IVL. POLLVX lib. 2. lexic. ſicut ὀπαῖον *foramen ollae* eſt. Satis hinc apparet, Graecos *vas & receptaculum* iisdem fere elementis, quae OB Hebraeorum conſtituunt, efferre. Quare ne addam quidem, quae ideam *liquidorum*, quae infundi iſtis obbis ſolent, iuuare poſſent. Taceo, quod ὀπὸς *coagulum, ſuccus, humor* vel *liquor alicunde manans* ſit, interdum ſuccus laſerpitii. Taceo quod ὀπίζω ſignificet *caulem incido ſucci gratia, detraho* LIQVOREM. *4) e Graeca lingua.*

* Hinc phraſis ὠβὰς ὠβάζω eſt in PLVTARCHO, *vitam comparatam Lycurgi* exhibente. Poſtquam dixerat, oraculum Delphicum ſuaſiſſe, vt populum in phylas & OBAS diuideret Lycurgus; Sic pergit Tomo I. pag. 78. (edit. Francof. 1606. e verſione Guilielmi Xylandri) *In his oraculi verbis* OBAE & *phylae certas partes ſignificant, in quas erat diuidendus populus.*

Non placet inſumere disputationem in homoioteleuta, atque per luſionem dare aliquid ſono τὸ ὠβ, τ'ωβ Germ. Top; *toupie.* quae vox Gallis notat *rem in imo acutam, in ſummo latiorem,* trochum, turbinem, non abſimilem ollae.

§. XX.

5) e Latinitate medii aeui.

Vox Hebraea אוב *vas* denotans, ad Latinos etiam diſſeminata eſt. Neque enim dubitare nos ſinit analogiae auctoritas, vocabulum OBBA, in medii aeui ſcriptoribus in primis frequens, itidemque *vas* deſignans, ex nulla alia ſtirpe progerminatum eſſe, quam ex illa orientalibus populis vſitatiſſima OB.

Copiam facere heic liceat eorum, quae exhibet FABRI *Lexicon Tom. II.* c. 2. (editionis Gesnerianae 1735.) *pag. 1.*„ OBBA *ae.* f poculi genus vel ligneum vel textile ex ſparto, ein hölzern Trinck-Geſchirr, eine Schleif-Kanne. Gallice: *Cruche de bois, qui a un gros ventre.* Seſſilem OBBAM *dixit* PERSIVS *Satyr.* V. 148. vbi CASAVBONVS pag. 447. proprie *dolium* vel vtrem ſignificari ait. Gallice *barril.* Legitur & apud Varronem auctore NONIO II. 597. TERTVLL. in *Apologetico* cap. 13. Differt a Simpulo OBBA. Inde flectitur adiectiuum OBBATVS *a, um,* inſtar OBBAE wie ein Trink-Geſchirr, en maniere de cruche. APVL. Met. 10. p. 254. Caſſides OBBATAE, id eſt, formam obbarum habentes.„ Videamus etiam verba CAROLI DV FRESNE, in Gloſſario ad ſcriptores mediae & infimae Latinitatis Tomo III. pag. 2.„ OBBA, inquit, *Oba, genus calicis* Vgutioni & Johanni de Janua: *nappo* Italis. Gloſſ. Anglo-Sax. Aelfrici: *Caupus* vel OBBA CVPPE. Jo. de Garlandia in Synonymis

Vrceus, vrceolus; eſt vrna, vel amphora, teſta,
OBBA *vel oenophorum, ſimul orca, fidelia, vaſa.*

Gloſſae MSS. Cratera vel OBBA calix anſas habens. *Petrus Damianus* lib. 6. epiſt. 26. Parili conuerſione pepigerat, vt appoſita cuique vini, ſicut mos eſt, perſonaliter OBBA vterque quotidie vtriuslibet menſura contentus eſſet. Domnizo lib. 1. de vita Mathildis cap. 10. OBBAS *& lances ad menſam fert equus.* Monaſticum Anglicanum Tom. I. p. 104. *Hae vero menſura bis in die* OBBAE *Monachorum implebantur, ſcilicet ad prandium & ad coenam.* Sub voce *olba* pag. 41. adfert verſus MSS. in gloſſa ad diſticha magiſtri cornuti citatos:

Vrceus, vrceolus, eſt olla, vel amphora, teſta,
Olla vel idria ſit vas, vini dico lagenam,
OBA *vel oenophorus, ſed & orca, fidelia* VAS *eſt.*„

§. XXI.

Sufficiant haec ad declarandum, dictioni אוב haud immerito significationem VASIS assignari. Jam igitur constat, quonam instrumento artem suam exercuerit mulier Endorea. Fuit nempe, (vt §. 12. praelibauimus) vates ἀσκομαντικὴ seu χυτρομαντικὴ, per aquam maiori ollae, vtri, vel alii vasi ampliori infusam hariolans. Fallor? an valde similis ista femina est iis superstitiosis nostri temporis vetulis, quibus in more est, plumbum liquefactum, vel ceram liquatam vasi, aqua pleno, infundere, vel albumen vitro aqua referto instillare, & e figuris casu, pressione & motu ortis ominari. Comparari certe mihi videtur posse iis absurdis feminis, quae aliis, coniugii cupidis, futuros sponsos vel alias species repraesentare annituntur & feruntur.

Colligitur ex dictis, mulierem, quam Saul consuluit, fuisse OLLARIAM, *seu ex* VASE *diuinantem,* OBBARIAM.

§. XXII.

Remouendus heic est scrupulus, qui obmoueri videtur posse contra istam opinionem. Si אוב non esset nisi homo per aquam vaticinans, inquis, *Deus mortis poenam viris feminisque* OBBARIIS *non minaretur Lev. XX*, 27. Et porro, *si haec Endorea, non nisi* OBBARIA *fuisset,* SAVIES *propterea, quod eam consuluerat, non occisus esset a Domino;* id quod memoratur tamen 1. Par. X, 13. (p. 12.)

Remotio obiectionis geminae.

§. XXIII.

Respondeo: 1) Multa nobis leuiora videri, quam in iudicio diuino sunt. Quo in primis pertinet *superstitio* omnis, assignatio vis diuinae rebus non diuinis, quippe qua, quasi directo mucrone, DEI, vnice veri, sanctitas violatur. 2) Quis negauerit huiusmodi *artificulos per Obbam,* qui figuras hominibus ostentabant, & in spuma aquae fiduciam collocabant, carminibus exorcisticis ritus suos de-

A)

testa-

teſtabiliores feciſſe? Nullo ego quidem pignore certem, quod Plutonem vel diabolum non inuocauerint, vt negotio ſe immiſceret. 3) Vel ideo, quod *ars obbaria* erat βδέλυγμα gentilium *, a quibus populus Dei diſtinctus eſſe debebat, mortis ſupplicium merebatur homo obbarius, media diuinitus praeſcripta, nempe verbum diuinum, & fiduciam in prouidentia Sapientiſſimi, abiiciens.

De Saule: in aprico eſt iuſtitia poenae, quam dedit; illaque haud tollitur eo, quod femina Endorea obbaria fuit. Nam 1) exoſa Deo res eſt fiducia in rebus nihili repoſita, diſſertiſſimeque Deus exercitium obbarium variis locis prohibuit. 2) Auxit gradum peccati regia dignitas Saulis, quippe qui cuſtos legum Domini ſui, & munimentum contra transgreſſionem earum eſſe debebat, iam vero maius offendiculum dedit. 3) Auxit crimen, quod is eſſet, qui Ollarios ſeu Obbarios, ceterosque ſimilis vanitatis homines e regno ipſe eiecerat, ac, metu mortis propoſito, artium harum exercitium proſcripſerat. 1. Sam. XXVIII, 3. 9. 4) Quod is eſſet, qui a Samuele iam pridem monitus erat tecte, ne huiusmodi vanitates ſectaretur. 1. Sam. XV, 23. Decuiſſet, vt meminiſſet Saules vocis קֶסֶם ibi exſtantis, itemque, idearum ſociarum ope, odii diuini contra *obbarios*. 5) Quod oppreſſerat vocem conſcientiae. Hanc enim clamaſſe, imitaris, o rex! gentilium mores, famam faſtigii regii in magnum periculum adducis! ex eo claret, quod mutatis regiis veſtibus, & noctu, ignaris omnibus, fatidicam adiit. 6) Quod multas preces, immo iuramentum per nomen IEHOVA, profudit, vt mulierem propenſam redderet ad aquatiles figuras, ratione Samuelis habita, obſeruandas. Obſtacula, quae mouit mulier, debebant regem pudore ſuffundere, ſed is ſe obdurat eo magis, iurans, neminem reſciturum eſſe reculam, neque ſe reſponſum, e figuris comparituris interpretatione eliciendum, cum quoquam communicaturum eſſe. Haec

momen-

momenta curate referuntur 1. Sam. XXVIII, 10. quo videamus, Saulem merito sagittis percussum esse, ita, vt ex his vulneribus, vel si se non exstinxisset, oppetiturus fuisset. 1. Par. X. 13. (§. 5. pag. 12.)

* Testor PLINIVM, (praeter caeteros, qui de more gentilium vetustiori manes citandi aliquid litteris prodiderunt.) Is H. N. lib. XXX. cap. III. pag. 533. lin. 9. narrat: APION, *grammaticae artis peritus, prodidit, se euocasse vmbras ad percontandum* HOMERVM, *qua patria, quibusue parentibus genitus esset; non tamen ausus profiteri, quid sibi respondisse diceret.* Lib. XXIII. c. 17. p. 444. lin. 40. refert, *vti magos marmariti*, seu *herba Aglaophoti, in marmoribus Arabiae crescente, quum velint Deos euocare.*

§. XXIV.

Persisto igitur in ea sententia, mulierem Endoream istam fuisse talium vnam, quales inter gentiles vocabantur *hydromanticae.* Vtebantur eae *cortina*, ritualiter consecrata imprecationibus carminum secretorum, vel alio vase maiori diris deuoto; ostentabantque, vt fertur, in aqua imagines quasdam scrutantibus. Memorat PLINIVS *Historiae Natur.* lib. XXX. capite II. edit. Frobenianae. Basil. 1555.) folio 532: *Vt narrauit* OSTHANES, *species magiae plures sunt. Namque ex* AQVA *& ex sphaeris, ex aëre, & stellis & lucernis ac* PELVIBVS, *securibusque & multis aliis modis diuina promittit, praeterea vmbrarum inferorumque colloquia.* Nota est *cortina* Delphica. *Ammian. Marcellin.* lib. 29. cap. 7. Sed ars Endoreae, de qua hic ago, mihi quidem videtur ad *quintam* partem MANTICES *gentilium* referenda esse, nempe ad *Stoechoeomantiam*, & quidem ad *aquae* elementum. Vt mentem eo magis explicem, schema diuinationum heic exhibebo, ex iis, quae passim apud scriptores Paganos inueniuntur, constructum.

Conclusio.

Mulier Endorea fuit HYDROMANTICA.

imitatrix ethnicorum morionum.

MANTICA, *ars praeuidendi*, complectitur non solum

I. CHRESMOMANTIAM, diuinationes per oracula, ſeu communicatas a Spiritu ſuperiori praeuiſiones.

II. ASTROLOGIAM IVDICIARIAM, eamque vel

1. *priuatam*, ſingulorum hominum fata praedicentem.

2. *politicam*, totarum gentium fata praenuntiantem. Nimirum

a) e planetis

b) e fixis

c) e cometis.

III. ONAROCRITICAM, ſeu ὀνειροσκοπίαν ſomniſpitium.

IIII. KLEROMANTIAM, diuinationem per ſortilegium, cuius ſpecies ſunt (conf. oratio mea *de ſortibus*. Halae, 1740.)

1. ἀξινομαντεία. PLIN. *Hiſt. Natur.* XXXVI. cap. 19. fol. 638. lin. 38. *In hac*, inquit, *gagatem etiam lapidem adhibent, quam peruri negant, ſi euenturum ſit, quod aliquis optet.*

2. βελομαντία *diuinatio per ſagittas*, quae mittuntur in phare-tram, inſcriptae ſeu ſignatae nominibus ſingulorum, vt videatur, cuius ſagitta exeat. Conf. Ezech. XXI, 21. & Hieronymus ad h. l.

3. ῥαβδομαντεία, diuinatio ex virgis Hoſ. IIII, 12. E. POKOK. ad Abul. Far.

4. κοσκινομαντία diuinatio per cribrum.

5. δακτυλομαντία diuinatio per annulum, in ſubſcriptas litteras ſaltuatim incidentem, donec reſponſum formauerit. AMMIAN. MARCELLIN. *Lib. XXVIIII. cap. VII.* in ſcriptoribus Hiſtoriae Auguſtae latinis ininoribus, a Jano Grutero Hanoviae 1611. in fol. editis. *pag. 650.*

6. ἀλεκτρυομαντία ſeu ἀλεκτρομαντία, ὀρνιθομαντία diuinatio per Gallos gallinaceos vel

a) comedentes grana litteris impoſita, vel

b) pugnantes, ἀλεκτρυομαχία.

7. στιχομαντία ars diuinandi per *verſus*, ſeu ῥαψοδομαντία ... per verſum primum in manus incidentem e rhapſodiis Homeri.

Sed MANTICA comprehendit etiam

V. STOECHOEOMANTIAM. Huius ſpecies ſunt:

A) Γεομαντία, diuinatio ex *terra*; & quidem

a) e pun-

a) e punctis in eam coniectis. (cui hodie succeſſit ars punctandi in papyro.)

b) ex eius ſtrepitu, motu & ſuſurris.

B) Ἀηρομαντία, diuinatio per *aerem* & meteora in aeris regione exſiſtentia.
1) ventos
2) irides
3) halones.

C) Πυρομαντία, ... per *ignem*; quo pertinet diuinatio

a) ex *fulmine* (κεραυνομαντία) eiusque
aa) directionis plaga.
bb) locis tactis.
cc) tempore.

b) e *ſtellis* cadentibus.

c) ex *igne non comburente* in ſacrificiis.

d) e *fumo* (καπνομαντία), qui rarus, rectaque aſcendens bonum omen, denſus & depreſſus autem, erat cauſſa lacrymarum.

e) ex *thure* diis oblato (λιβανομαντία); vel litante, vel minus.

f) ex ardente *lampade* (λυχνομαντία) pecuniam pollicente, vel alia noua per exſtinctionem, & affectiones lucis varias praedicente.

D) Ὑδρομαντία latius dicta, ſeu ὑδροσκοπία *diuinatio per* AQVAS. Mentionem iniicit hydromantiae PLINIVS *Hiſt. Nat.* Lib. XXXVII. cap. XI. pag. 662. lin. 10. *Ananchitide*, inquit, *in hydromantia dicunt euocari imagines*. Eius ſpecies ſunt:

1. ποντομαντία, diuinatio per *aquam marinam.*
2. πηγομαντία, diuinatio per aquas *fontium*, earumque augmenta, decrementa, aluei derelictionem, ortus colores, refluxus, inundationes, cetera.

Nota: Ad hanc pertinere κατοπτρομαντίαν ſeu *criſtallomantiam veterem*, h. e. diuinationem e SPECVLO *fonti immiſſo, coloribusque*, quos inſpicienti tribuebat, *refractis.* Prorſus nouum autem πηγομαντίας genus ſit illud, quod effecit is, qui in arborem fonti imminentem aſcendit, vt ſua ſpecies

a quadam in fonte conſpiceretur, & pro ſpecie ſponſi haberetur, ſed fracta arbore, graui praecipitio ſuo fontis aquam perturbauit!

3. λεκανομαντία diuinatio per PATERAM *aqua plenam*, in qua apparere dicebantur daemonia nutu reſpondentia. STRABO Lib. XVI. *Geogr.* (edit. Xylandr. & Caſaubon. 1587. Atrebat.) pag. 524. memorat, hunc modum in Perſia notum fuiſſe. Παρὰ δὲ τοῖς Πέρσαις οἱ μάγοι καὶ νεκυομάντεις καὶ ἔτι οἱ λεγόμενοι λεκανομάντεις. Seu κυλικομαντία diuinatio *per* POCVLVM; ſeu χυτρομαντία per OLLAM & vas teſtaceum, ſeu ἀσκομαντία per VTREM & dolium coriaceum; ſeu ὑαλομαντία diuinatio per VITRVM aqua refertum §. 21. 10. ſeqq.

Conf. IVLIVS SERENVS lib. 9. de fato c. 18. CASAVBONVS *in Spartiani Juliano.* BODINVS *de daemonomania.* JOH. WIERI *de praeſtigiis daemonum & Magis infamibus* JOH. GEORG. GODELMANNI tract. de *Magis*, Veneficis &c. CORNEL. AGRIPPA *de occulta Philoſophia.* DELRIO diſquiſitiones Magicae. CASP. PEVCERVS in commentar. *de praecipuis diuinationum generibus.* JOHAN. CHVSAE *de Spirit.* E. POKOK. *ad Abul. Far.* p. 327. PSELLVS de *daemonibus.* AVGVSTINVS *de Civ. Dei* Lib. 7. c. 35.

Refertur ad λεκανομαντίαν

aa) κηρομαντία diuinatio per figuras *cerae* liquefactae, aquis immiſſae, formatas. §. 21.

bb) μολυβδομαντία diuinatio per figuras *plumbi* liquati, aquae infuſi. §. 21.

cc) οἰνομαντία diuinatio per *vinum.*

Sed non progrediar vlterius. Satis enim iam patet, regnaſſe inter gentiles plurimos diuinationum ſuperſtitioſos luſus. Liquet etiam, quo loco habenda ſit ars mulieris Endoreae, ad λεκανομαντίαν ſeu πιθομαντίαν, vt ſupra §. 9. 12. ſchol. & 24. dixi, referenda.

§. XXV.

Conſectarium: Flaccidi SAVLIS

Quum igitur ars mulieris tam futilis fuerit, quum eadem futilitas nec amicis SAVLIS nec SAVLI ipſi ignota eſſe poſſet, is verumtamen *buttariam* mulierculam hanc, figuras

figuras in aqua oſtentarſtem, adiret; Apparet hinc, quam abiectus & ſordide humilis tunc fuerit regis animus. Huic nempe vlcera malae conſcientiae omne robur ademerant. Angor animi, ſolamen quaerentis, eo tandem adegit regem, vt *tentandam* * obbariae artem putaret, numne ea, ſub recitatione nominis Samuelis, figura quaedam in vaſe produci poſſet, e cuius ſpecie & variatione liceret colligere, quid faciendum, quidue futurum ſit. §. 5. *ignauia.*

* *Tentare licet*, quidquid ſit! *explorabo!* Ita cogitaſſe mihi videtur SAVLES. Haec enim prima diaboli inſuſurratio: *tenta.* Sic Judam, maiori amore pecuniae quam odio CHRISTI flagrantem, multosque alios, interſertis excuſationibus: *non ex animo hoc facio, ſed animi cauſſa*, decepit. Leuia videntur tentamina; nec perſpicitur magna, quae iis ſubeſt, mentis prauitas. Sed quantum DEVS deteſtetur ea *tepida*, quae cum officiis erga DEVM & agnitam eius voluntatem certant, quam male illa cedant, heic diſce. conf. 1. Sam. XV, 9. 22.

§. XXVI.

Accinxit ſe quidem mulier, vt vas ſuum apportaret, id aqua deinde impleret, ac denique hydromanticas vanitates inciperet. Sed non legimus, quod eas ipſas exercuerit. Memoratur potius, ſpeciem Samuelis terriculamento fuiſſe ſtatim poſt finitas Saulis preces, vt mulier *obbam* ſuam adduceret, figuras aquatiles delineantem. Subitus feminae clamor, ſe inſolitum quid videre, quale alias videre haud ſolebat, ſtatim refertur; index haud obſcurus, eam praeuentam eſſe. Vtatur breuitate ſcriptor ſacer: nec tamen omiſiſſet formulam, qua Moſes vtitur Exod. VII, 11. *& fecit ita* leuis vxor, ſi re vera ita feciſſet; quippe hoc momentum in tota hac hiſtoria maxime capitale futurum fuiſſet. Sequutus igitur ipſam narrationem ſacram, ita ſeriem rei *geſtae* cogito: C) ACTIO *mulieris haud inchoata eſt, praeuentae improuiſo* SAMVELIS *interuentu.*

I. Quum obbaria, precibus & iuramento expugnata,

induxiſſet animum, roganti morem gerere *, *quum exiret* ad hauriendam forte aquam: ecce, diuina permittente ſapientia, aduentare videt inopinato ex *Rama* diuinum quid אלהים ac venerabile **, lucidum, iudicis ſenis, coelitum tamen ſocii, perſonam referens, non conſiſtens, non ad latus, vbi forte ſtetit mulier, declinans, ſed ad ipſum, qui in domo erat, hoſpitem contendens. ***

II. Quo viſo, domo proprior, mulier properanter ſe recepit in locum, vbi Saules erat. Facileque capiens, ſe ampliſſimi prophetae aduentu indigniſſimam eſſe, (quippe prophetae regum tantum & ſacerdotum medici eſſe, ad eosque legari ſolebant) magnam item conſulentis ſtaturam comparans (qua excellere Saulem dudum nouerat 1. Sam. 9, 2.) clamat, *tu es Saul!* nonne? §. 32.

III. Vix autem deſcripſerat ſpeciem viſae diuinae imaginis, quod ea pallio amicta eſſet, prophetico nempe, quale Saul lacerauerat, 1. Sam. XV, 27. quum praeſto ipſe eſſet SAMVEL. Index eſt vox הוא *_* in hemiſtichio priori commatis 14. איש זקן עלה והוא עטה מעיל vir ſenex aſcendens eſt. *Et* HIC (oſtendit mulier manu ſua inopinato praeſentem) *amictus pallio.* §. 33.

III. Aufugit igitur per poſticam (ſiue aliud effugium) perterrita, nec ſuſtinens diuini ſpectaculi praeſentiam. Exiiſſe eam foras, & manſiſſe tam diu extra illud conclaue, in quo Samuel cum Saule agebat, manifeſtum eſt e verſu 21., quo edicitur, abſoluto colloquio Saulis & Samuelis demum, eam redeundo introiiſſe ad Saulem. ותבא האשה אל שאול *venit vxor illa ad Saulem.* Si venit ad eum iam demum, antea abfuit ab eo. Abſens vero non audiuit, *iam iam moriturum eſſe regem.* Hoc περιεχόμενον non nulla est ratio officioſae liberalitatis mulieris v. 22. Studebat demerere regem officiis, vt is non modo nunc dono regio gratiam rependeret, verum etiam in poſterum cumulatiſſime.

IIII. At-

IIII. Atqui non opus fuit ſuperſtitionis *ollaris* exercitio, quum ipſe praeueniens & præſens Samuel oraculum edidiſſet.

* Non noluiſſe mulierem facere, quae petierat Saules, apparet ex v. 21. vbi conatum ſuum praedicat: Ecce *ancilla tua attendit ad vocem tuam,* ואשים *& poſiturus eram animam meam in manum meam* ואשמע *& obediturus eram verbis tuis.*

** Conf. diſſert. mea de *nomine* אלהים, *quatenus magiſtratibus tribuitur.* Helmſt. 1744.

*** Haud eſſe ἀπροσδιόνυσον iudico, vt haec praeuentio conferatur cum praeuentione, quam legimus 2. Reg. I, 2.3. Ibi rex Ahaſia in eo erat, vt deaſtrum BAAL SEBVB, qui conquiniſcebat Ekrone, per nuntios interrogaret, num cum valetudine in gratiam rediturus eſſet. Sed quum iam mandaſſet nuntiis hanc conſultationem: ecce! Deus occupat eam, mittitque iis in occurſum ELIAM prophetam, qui vana ſolatia Baalis veris oraculis ſuis anteuerteret. Perinde rex Saules in eo erat, vt conſuleret obbariam, Deus autem mittit Samuelem. Fateor, non prorſus par ratio eſt. Eliſa enim viuebat, Samuel autem occubuerat. Haec autem diſparitas, non niſi in legatis obuia, magis confirmat quam tollit Samuelis interceſſionem diuinitus factam.

Quum enim Saules deſideraſſet indicia mortui prophetae Samuelis in hydria: poſtulauit *ius talionis diuinae*, vt ipſe mortuum Samuelem, quod minime ſuſpicatus fuerat, videret, ab eoque terreretur.

*** Non otioſum heic eſſe pronomen הוא, ipſi Judaei facile animaduerterunt. Sed infelices fuerunt in reddenda eius cauſſa. Opinati nimirum ſunt, duo apparuiſſe. Sic in לקח טוב ad 1. Sam. XXVIII, 13. commentantur: עולים תרי ומי היו משה ושמואל כששמע שאול כך נתירא שקרא אחד ועמדר שנים *Aſcenderunt duo. Quinam illi fuerunt? Moſes & Samuel. Vt igitur audiuit hoc Saul, magno perculſus fuit timore, quod nempe euocaſſet vnum, & duo praeſto eſſent.* Sic ob הוא torquent עולים.

SECTIO II.

SECTIO II.
EDOCENS,
QVOD VERVS SAMVEL
APPARVERIT. §. 27-38.

§. XXVII.

Possibilitas. *Potuisse* Samuelem defunctum redire ad SAVLEM & cum eo loqui, *si Deus id voluit*, nemo inficias ire potest, nisi qui summam Dei in omnia potestatem negare audet, Luc. I, 37. Jubente DEO, in cuius manu sunt corpora & animae defunctorum, non difficilius fuit, Samuelem etiam semel post mortem suam conspici a Saule, quam fuerat, vt viuus a Saule saepius videretur. Quemadmodum vero infinita DEI potentia docet *a priori*, fieri potuisse id, de quo sermo est, sic *a posteriori* idem exemplis declaratur. Vere enim post mortem suam apparuerunt homines mortui & sepulti, non solum qua animam, verum etiam qua corpus. Testatur enim scriptor sacer Matth. XXVII, 52. Καὶ τὰ μνημεῖα ἀνεῴχθησαν, καὶ πολλὰ ΣΩΜΑΤΑ τῶν κεκοιμημένων ἁγίων ἠγέρθη. 53. Καὶ ἐξελθόντες ἐκ τῶν μνημείων μετὰ τὴν ἔγερσιν Χριστοῦ, εἰσῆλθον εἰς τὴν ἁγίαν πόλιν, καὶ ἐνεφανίσησαν πολλοῖς - - - & APPAREBANT *multis*, senibus nempe, apud quos nondum eorum forma & memoria oblitterata erat, & aliis, a quibus agnosci poterant. Ne quid adiiciam de mortuis, in V. & N. Testamento resuscitatis.

A)

B)

Qui τὸ *posse* negandum sibi sumunt, obiicere solent:

1) Quod comprehensor Hebr. XII, 23. non possit esse viator; quod reditus in patriam detur nullus.

RESP. *Ordinarie* reditum in patriam dari nullum, videmus. Sed, quod ex *singulari* prouidentia non possit dari, inde haud planum est.

2) Quod

2) Quod iniurium ſit, hominem e ſtatu beatitatis in ſtatum miſerum reduci. τὰ ἀνώτερα enim eſſe καλλίω.

RESP. Falſo ſubſternitur quaſi certum, hominem beatitatem ſuam amittere, quando legatum Dei agit. Augeri eam exiſtimemus exſecutione mandati diuini cuiuscumque! Gaudent ea, tamquam noua gemma in corona ſua, felices animi.

3) Quod repugnent dicta haec biblica: Job. VII, 9. 10. *Qui ſemel deſcenderit ad inferos,* לא יעלה *non aſcendet.*

RESP. Subintelligitur: *in vitam mortalem* non rurſum aſcendet, ſic explicante v. 10. *in domum ſuam* propriam, *neque agnoſcet eum locus eius*, locum, dignitatem, & fortunas alius obtinebit. Nec nos dicimus, Samuelem rediiſſe ad vitam mortalem denuo ordiendam. 2. Sam. XII, 23. *Migrabo ad ipſum*, filiolum meum, dicit Dauid, *ſed ille* NON REVERTETVR *ad me.* Pſ. LXXVIII, 39. Deus ad miſericordiam prouocatur, quia *Spiritus abiens & non rediens eſt.* RESP. Sermo eſt tum de negata reuerſione ad hanc vitam, ex *communibus* legibus, tum de vitae, quae vapor eſt, Cohel. I, 2. Jacob. IIII, 14. breuitate. Joh. X, 28. *nemo eripere poteſt oues e manu mea*, ait CHRISTVS. RESP. nec ſic eripiuntur; manent eius peculium. Apoc. XIII, 13. Jeſ. LVII, 2. RESP. Nec horum oraculorum veritas diſpungitur ita.

§. XXVIII.

Probabilitas.

Neque vero indignum fuiſſe ſapientia diuina, vt id, quod poterat, vellet etiam, atque miraculum iam ederet, admodum probabile euadit, vbi vtilitates e miraculoſa Samuelis apparitione orituras perpendimus. Eae fuerunt

inuoluens ſcopum apparitionis SAMVELIS.

GENERALES: *Tum* demonſtratio iuris diuini & *poteſtatis* in animas a corporibus ſeparatas. Dubitaret forte quispiam de ſumma omnipotentiae hoc in foro libertate, niſi Deus tali ſingulari euentu ac diſpenſatione legum, defunctis praeſcriptarum, confirmaſſet, ſe illarum

 aucto-

auctorem esse. *Tum* declaratio *vitae* animae humanae, postquam a corpore discessit, etiam in V. T. & maxime Saulis temporibus necessaria ; *Tum* testificatio *singularis curae* diuinae pro regibus & populorum antistitibus. Subsunt prouisioni Dei, omnes, etiam viliſſimae, res, ac personae, Matth. X, 29. Act. XVII, 28. E Samuelis autem mortui ad SAVLEM missione appareret, sicuti Deus principibus singulare nomen אלהים, (illud *creditiuum* potestatis legitimae) dedit, sic eos interdum *singularibus* beneficiis dignari, ad suum erga eos amorem ostendendum. Opportune id fit in *primo* rege per *primum* post Mosen prophetam magnum Act. III, 24. *vltimum* iudicem. XIII, 20.

SPECIATIM commoda promittebat illud miraculum, redundatura

Partim in SAVLEM, quippe qui, Marpesia caute durior, nec cedens ordinariis remediis, ita quidem *tum* commouebatur maxime. v. 20. & ad agnoscendam Dei sanctitatem & veracitatem adigebatur, v. 17; *tum* tacite admonebatur, vt ad instantem mortis horam v. 19. se praepararet, atque ad officium reuerteretur, minime autem ipse sibi mortem, satis certam, inferret; *tum* liberabatur a summo animi periculo, in quod mulier, quam consuluerat, eum, iam satis contumacem, plane inductura erat mendaciis suis, & venenatis consolationibus, 1. Reg. XXII, 11. 12. si ad vsum vtensilis instrumenti eius, imagunculas interpretandas exhibentis, § 4. 12. deuentum esset. conf. p. 7.

Partim in homines istius aetatis omnes promanantia. Hi enim discere ex hoc ostento poterant, *tum* exosam maxime DEO rem esse superstitionem illam, in *vase* exerceri tunc solitam, *tum* damno pleniſſimam esse eiusmodi consultationem; si quidem rex ipse, qui ab alio multari non poterat, ab ipso Domino per Samuelem λόγῳ σηλιτευτικῷ, terrore etiam, qui eum vitae vix nescium reliquit, immo interitus indictione castigatur, *tum*

iustam

iuſtam formidinem eſſe, ne vindex DEVS improuiſo obrepat luſibus interdictis; eumque permittere interdum, vt is, de quo confabulatio eſt, inopinato interueniat. Ita confirmabatur tritum illud: أَنْكِرِ الْغَائِبَ يَغْتَرِبْ *Mentionem fac abſentis: appropinquabit.*

Partim hoc ſingulare viſi poſt mortem Samuelis exemplum vtiliter proluſit iis piis hominibus, qui tempore Chriſti poſt mortem ſuam apparuerunt. §. 27., Matth. XVII, 3. effecitque, vt facilius crederetur haec eorum apparitio.

Non intelligunt mortales nexum vniuerſalem, adeoque nec veras cauſſas, quae miraculum requirunt. Neque tamen pro leuibus reputandae ſunt cauſſae, quas adduxi, modo comparentur cum iis, ob quas 2. Reg. VI, 6. miraculum fiebat in ferro, quod, in fundo IORDANIS conſidens, aſcendit ex ſolo aquae motu, alta petiit, contra grauium naturam, & aquarum ſuperficiei innatauit. Ratio fuit dolor vnius hominis, cui illud ferrum, res aliena, exciderat, qui forſan non habebat pretium, quo illius iacturam compenſaret. Conf. IO. MICH. LANGII diſſert. de *ferro natante* 1689. Jenae §. 6. ſeq. Eſt autem difficile probatu, quod minus miraculum ſit, adimere corpori ſpecificum pondus ſuum, & ferrum inſtar arenulae in ſuprema aquae planitie prouehere, quam conſpiciendum dare hominem mortuum. In vtroque euentu fit exceptio a regula, Domino, cuius vis ad omnia ſufficit, aeque facilis heic, ac illic.

§. XXVIIII.

Progrediamur nunc ad probandum quintuplici ar- *Actualitas.*
gumento, vtique verum Samuelem heic exhibitum eſſe. Ne minimum quidem fraudis, ſiue a muliere, ſiue a Satana commiſſae, indicium deprehendimus. Textus ſacer, vnde tamen veritatis neruus ducendus eſt, ſuppeditat ipſe

propugnacula fortiſſima ſententiae eorum, qui verum Samuelem heic ſtetiſſe credunt. Diſſonat ille vero maxime a contrariis opinionibus.

§. XXX.

Ratio. I.

ipſe auctor ſacer proclamat id, quod apparuit, quinquies inculcato nomine SAMVEL.

Argumentum primum hoc eſt: Ipſe ſcriptor ſacer aſſeuerat, omnino Samuelem heic adfuiſſe, et cum Saule collocutum eſſe, quippe id, quod viſum, ac locutum eſt, *quinque vicibus nominat* SAMVELEM diſſertiſſime.

1) v. 12. ותרא האשה את שמואל *quum videret mulier* SAMVELEM

2) v. 14. וידע שאול כי שמואל הוא & *cognouit Saul, quod* SAMVEL *ipſe eſſet.*

3) v. 15. ויאמר שמואל אל שאול & *dixit* SAMVEL *ad Saulem.*

4) v. 16. ואמר שמואל למה תשאלני & *dixit* SAMVEL, *quare interrogaturus eras me?*

5) v. 20. ריירא מאד מדברי שמואל & *timuit valde prae verbis* SAMVELIS.

§. XXXI.

Pondus huius rationis.

Nemo dicet, infirmo ſerperaſtro hoc argumentum ingredi. Eſt enim *partim* eius generis, quo nullum clarius datur. E verbis enim aeſtimandus eſt intentus ſenſus.

A) Atqui verba h. l. aſſerunt, minime contradicente nexu, & quidem conſtanter, ſine vlla variatione clamant, SAMVELEM heic praeſto fuiſſe. An ergo maius excogitari poſſet pro noſtra ſententia patrocinium? Non ſolum aeque facile fuiſſet ſcriptori ſacro, loco Samuelis ponere *laruam* & Φαινόμενον אבוב, שוא, שקר, ſed exſtitiſſet etiam officium perſpicui & fidelis auctoris, vt additamento quodam notaret falſitatem Samuelis, ſi is fictus fuiſſet. Sed conſtat ſibi quintuplici repetitione in aſſerto, quod ipſe Samuel heic viſus ſit. Si haec ſtudioſiſſima textus aſſer-

assertio non valere debet, nescio, quid tutum ab insultibus sit, quid pro euidenti habendum sit. Semper effugium paratum erit. *Partim* autem ratio allata robur accipit ab immoto illo canone hermeneutices, in textibus historicis maxime obseruando: *A sensu litterae non esse recedendum, nisi euidens & summa postulet necessitas.* Vbinam vero heic exsistit durum necessitatis telum, quod nos cogeret, deserere propriam significationem nominis proprii SAMVEL? Quid sequitur, si retinemus naturalem nominis vim, quod cum alia indubia veritate certaret, siue doctrina fidei, siue morum praecepto? B)

Ex iusta regula: μὴ δίκην δοκάσῃς, πρὶν ἂν ἀμφοῖν μύθον ἀκούσῃς, audiamus etiam oppositiones contra sentientium. Narrant:

1) In *comoediis* solent ii, qui laruam imperatoris, Augusti, Traiani &c. prae se ferunt, vocari Augustus, Traianus. Sic diabolus, qui laruam gessit Samuelis, heic appellatur Samuel.

RESP. Nego minorem. a) Non describitur heic comoedia. Vbi enim est theatrum? vbi reliqua eo pertinentia? Sed historia recensetur rei, minime a Saule dramatico sed a vero Saule, cum muliere obbaria, non personata sed vera, non in conficto loco nominis Endor, sed in oppido Endori vero gestae.

b) Dicere, quod *diabolus personam Samuelis egerit*, hoc est, principium petere, seu vti veteres dialectici nominant, pistillum versare. Id enim ipsum est, de quo litigamus, quod nego. Si idem, mere affirmatum, ad probandum adducitur, probatio in orbem redit. Quid enim sibi vult haec argumentatio, *Samuel ille fuit fictitius, quia diabolus comoediam egit*, praeter hoc: *fuit fictitius, quia res ficta fuit.*

2) Nomen SAMVEL adhibitum, est locutio catachrestica, κατὰ τὸ δοκοῦν posita, sed non grammatice sumenda; scriptura sacra saepe aliquid refert, nec tamen id approbat. e. c. 1. Cor. VIII, 5. *deos* vocat. Tit. I, 12. prophetam Epimenidem, Cnossium illum.

RESP. Ergo tam immodice faues opinioni tuae ſemel arreptae, vt eius gratia vel expreſſiſſimum nomen *Samuel* mutandum ſit! Verum eſt, ſcripturam ſacram quaedam accommodate ad captum humanum enuntiare, quaedam etiam ex ore & opinione aliorum. Sed *generatim* tenendum eſt,

aa) minorem eſſe locutionum catachreſticarum numerum in bibliis, quam venditatur, cautiſſimeque, & rariſſime eo prouocandum. E. c. 1. Reg. XVIII, 29. ויתנבאו eximitur e numero catachreſticarum, ſimul atque cognoueris, hanc vocem non ſolum ſignificare prophetiam, verum etiam ſic reddi poſſe, & anxie *loquebantur de DEO* ſuo, *laudabant eum*, coll. 1. Sam. X, 5. 13. ψάλλειν XVIIII, 20. 1. Par. XXV, 3. 6. נבא enim eſt θεολογεῖν *interpretem rerum diuinarum agere.* Forma autem Hithpaelica notat conatum ſerium & continuum q. d. ſie zerpredigten, ſie zerſchrien ſich, ihn preiſende (Gen. 17, 1.) Job. XXVIII, 4. Pſ. CIIII, 5. vbi *fundata* eſſe terra dicitur, non eſt dictio catachreſtica. Nam יסד eſt *proprie certum terminum rei conſtituere.*

bb) Vbicumque occurrit dictio catachreſtica, ibi vel α) character καταχρήσεως adiicitur, vel ea in aliis ſcripturae locis declaratur. Qui Gen. XVIII, 2. 16. tres *viri* memorantur, eorum vnus v. 3. vocatur אֲדֹנָי per Kametz, quae vox *Kametzata* aequivalet nomini *Jehova;* duo reliqui autem Gen. XVIIII, 1. 15. declarantur nomine *duorum angelorum.* Eſt 1. Cor. VIII, 5. in voce λεγόμενοι explicatio; & Tit. I, 12. in vocibus ἐξ αὐτῶν, h. e. poeta, quem conciues Cretenſes crediderunt ex inſtinctu diuino canere. Gen. XXXII, 24. *vir*, qui cum Jacobo luctabatur v. 28. 30. & Hoſ. XII, 4. vocatur אלהים. *Dormiens* Matth. VIIII, 24. vocatur v. 18. *mortua.* β) Vel ex ipſo conceptu vocabuli, quod pro catachreſtico habetur, κατάχρησις percipi poteſt. e. c. *aeneus ſerpens.* Num. XXI, 9.

Jam *ſpeciatim*

a) nego, in poſito nomine *Samuel* deprehendi catachreſin. Nam nullum eorum criteriorum, ſub bb) adductorum, heic locum habet. Abſentibus igitur iis, debent nobis iura nominis proprii, toties repetiti, ſanctiora eſſe, quam vt loco conceptus, quem illud fundit, aliam notionem ſubſti-

tuere-

tueremus. Si enim liceret pro lubitu *κατακχρήσεις* fingere, quid, quaeſo, non lubricum foret? Sodes! cur non dicis שמואל h. l. poni pro סמאל Samaele, quem omnium diabolorum nequiſſimum eſſe, dicit Bechai. Per catachreſin fas eſt. Vbi *homo* memoratur, ibi, dicere poſſet ſciolus, *ſimiam* intelligendam eſſe. Nulla eſſet promiſſionum diuinarum, quam hac ſtropha, interſerendo *κατάχρησιν*, non liceret eludere & peruertere. Scriptura ſacra nunquam adhibet *abuſiuas* dictiones, vt non manifeſtum eadem faciat, eas tales eſſe. Quis igitur credat, eam momentum tam graue *heic* dumtaxat ſilentio obruturum fuiſſe? Quis ſanus ſibi perſuadeat, eam heic rem, quae vnius voculae adiectione, vel variatione nominis Samuel vnica, potuiſſet clariſſima euadere, ſiue negligentia, ſiue data opera obſcuraſſe? Nulla tamen ei excidit vocula, abuſionem prodens. Merito igitur abuſionem profligamus.

Addo *καθ' ἄνθρωπον*. Qui vrges, propriam poteſtatem vocum v. 15. §. 40. למה הרגזתני *cur inquietaſti me?* tuendam eſſe, quare heic vnice in nomine שמואל a te ipſo diſcedis?

b) Poſito, quamquam non conceſſo, nomine *Samuel* indicari, non quis fuerit, ſed quis eſſe Sauli viſus ſit, nihil tamen lucraris. Oportet enim vel *καταχρήσεως* patronos, vt concedant, *apparentiam* (hanc enim ſequitur *κατάχρησις*) SAMVELIS heic adfuiſſe, ſeu Saulis oculis exhibitum eſſe aliquid, quod iſte, pro Samuele habendum eſſe, certus fuit. Euincit ipſa *κατάχρησις veritatem ſenſationis* SAVLIS. Haec mihi tamdiu ſufficit ad credendam veritatem apparitionis Samuelis, donec probes, teſtimonio ſenſuum Saulis nihil tribuendum eſſe. Quod aegerrime probabis.

§. XXXII.

Ratio altera eſt, quod mulier Endorea Saulem vidiſſe dicitur v. 12. ותרא האשה את שמואל & VIDIT *mulier* SAMVELEM. Potuiſſet omitti haec propoſitio, ac ſtatim commemorari: his v. 11. a rege dictis, *clamauit mulier* &c. ſi mulier aſtute ſimulaſſet tantum viſionem horrificam. Omnino, inquam, omiſſurus fuiſſet illud monitum auctor ſacer, ſi ſignificare voluiſſet, mulierem nihil vidiſſe. Sed delibe-

Ratio II. fatidica conſpexit Samuelem.

deliberato consilio, antequam reliqua mulieris facta tangit, hoc *Nota Bene!* praemittit: VIDIT mulier SAMVELEM. Ipse igitur testatur his verbis verum intuitum. Sane aut effreni audacia peruertendum est clarissimum hoc Spiritus sancti testimonium, aut, si nefas est, prudentiorem esse velle sancto teste, concedendum est, quod Samuel mortuus heic sese ostenderit. Confirmatur illa contuitio vera TVM EO, quod femina sensit, *Saulem adesse*, atque quiritauit: *tu es Saul!* Hanc enim notitiam maxime niti conspectu * ipsius prophetae amplissimi, cum rege versari soliti, ac principis excelsissimi causa magis desiderandi, quam vllius hominis ergo, (forte etiam signis quibusdam Saulem praesentem notantis)a veri specie haud aberrat.(p.38. II.) TVM EO, quod mulier potuit hanc speciem describere. *Generatim* enim distinctos suos, quos visu acquisiuerat, conceptus sic enarrat: Est אלהים. H. e. 1) *venerabilis*, non femina, sed *vir*, motu corporis sit mihi propior, maiestate plenus, cui honor propter perfectiones debetur. Est 2) *magistratus*, iudicem referens, praefectus. Parum abest, quin dicat, est SAMVEL. Sed non dicit, quia primo obtutu non cogitabat, eum ipsum SAMVELEM, in cuius manes *Saul* aquam considerare se velle dixerat, v. II. §. 12. 21., istud aduentans esse. Est 3) *coelitum quisquam*, κρείττων τι, ἢ κατ' ἄνθρωπον in hac rerum humanarum caligine versans, est quotidiana hominum forma augustior, θεόθεν missus, diuus, lucidus, glorificationis & consuetudinis cum Deo proprioris notas quasdam prae se ferens. p. 39. *Speciatim* mulier describit v. 14. α) habitum *capitis* & VVLTVS eius, propria claritate, etiam noctu, visibilis, *senilem* nempe; in verbis אִישׁ זָקֵן עֹלֶה *vir senex ascendens* continuo (haec vis participii) *est*. β) תאור habitum CORPORIS ** eius, ita: והוא עטה מעיל & hic (§. 26. III.) *amictus*, circumvolutus *est pallio* prophetarum & iudicum, ἱματίῳ ποδήρει.

& quidem accurate.

* Ea

* Ea ratio, quam Apellae proferunt, quam ipſam ROB. BELLARMINVS *Libro II. de purgatorio Cap. VI.* amplectitur, vix cuiquam ſani iecinoris homini probabitur. Sic illi garriunt in JALKVT *ad 1. Sam. XXVIII.* מהיכן ירקה לאדו רבותיו לך כשם שעולה למלך עלה להדיוט למעלה ורגלין למטה כדרך העלין ולהדיוט רגלין למעלה ופניו למטה *Vnde ſciunt dicunt magiſtri noſtri &c.* Quae in verſione Judaeo-Germanica ſic explicantur: Unſere חכמים (ſapientes) ſchreiben, die Frau wuſt es davon: Denn ſonſt, wenn ſie hat einen todten Menſchen aufgebracht mit כישוף (Zauberey) da iſt er iimmer mit den Füßen zuerſt aus der Erd komuen. Wenn aber das מת (mortuus) zu einem מלך (rex) aufgehet auf die Erd, ſo komt das מת zu erſt mit dem Kopf aus der Erd, von wegen daß es ſich ſtracks gegen den König bücken kan. Vidimus ſupra §. XI. p. 20. RASCHII commendabilem expoſitionem vocis OB per אודות *vtres maiores*, veſicas ſeu *onas* (Ohm) coriaceas grandes. (Quales etiam, ſed כפוקיא inflatas, ad terrorem iurantium Judaei adhibent, conf. R. Nathan in Aruch in voce קטת.) Heic vero ſequitur commune Rabbinorum in interpretando vitium, quod conſiſtit in affectatione omniſcientiae cuiusdam & fictione hypotheſium, quibus ſumtis, difficultates euaneſcunt. Vocem enim עֹלָה v. 14. reddere audet CAPITE *aſcendens*, & ita nugatur: זרחתה עולה שלח כדרך העולות שהעלה עוליין רגליה למעלה וזה עולה ראש למעלה בשביל כבודו של שאול *Vidit eum* ASCENDENTEM, *quod non ſecundum morem ſaeculi, quo in ſumma aſcendentes ſunt pedibus ſuis in altum. Sed hic aſcendens eſt* CAPITE *in altum, propter gloriam Saulis.*

Ego quidem exiſtimo, verbum עלה *aſcendit* (vir ſenex) reſpicere ſitum oppidi Endori. Notum eſt τοῖς φιλολογοῦσι, BOREALIA in ſcriptura ſacra haberi *pro ſuperis*, facereque terminum ASCENSVS; *auſtralia* vero eſſe *infera*, & facere terminum deſcenſus, cum reſpectu ad eleuationem poli arctici. Atqui ENDOR fuit *boreale*, *Rama* autem, vbi Samuel ſepultus erat, fuit auſtrale. Situm enim eſt *Rama* in tribu Beniamin, ſed *Endor* in tribu Manaſſe. Ioſ. XVII. 11. Sicut plurima oppida Matth. V, 14. ſic etiam Endorum forte in loco altiori poſitum fuerit. Tendens igitur Rama Endorum Samuel, poteſt dici

ascendere. Sumo itaque הָאָרֶץ in propositione: *vidi Elohim ascendentes* EX TERRA, cum ה δεικτικῷ, *illa* significatu strictiori, pro regione illa, quam femina manu sua ostendebat, vnde strenuo aduentare videbat Samuelem. Conf. differt mea *de repraesentatione actionis, tamquam subsidio hermeneutico.* Helmst. 1746. Non videbitur absona haec opinio ei, qui versum 3. & 9. contulerit, vbi vox הארץ *terra* etiam strictius de *regione Israelitica* intelligenda est, quod *articulus* innuit. Forte etiam domicilium vetulae in loco editiori positum fuit, vti totum Endorum. *Ex terra* igitur *ascendit*! idem sit, ac, ex *australi loco venit ad nostrum, magis borealem; e planitie depressa* venit in collem nostrum, cui domus imposita. Certum saltem est ארץ proprie *depressum* notare Prov. XXV, 3. ex radice apud Arabes superstite أَرَضَ *(araz) depressum humilemque esse.*

* Vnde Chaldaeus paraphrastes tam praegnans nomen אלהים sic exprimere studuit: *vidi* ANGELVM DEI. Versio Hybri-Germanica, (sic voco, propter voces hybritas intermixtas, Teutonico-Germanicam): Ich habe Engel Gottes gesehen.

** Solet enim תאר de forma *corporis* vsurpari, sicuti מראה de *facie.*

§. XXXIII.

Ratio III. Ratio *tertia*, qua probatur, verum Samuelem Sauli obuium fuisse, haec est: quod etiam rex SAVLES V. 14. dicitur ipsum Samuelem agnouisse. Mirum sane, a tam paucis interpretibus hoc obseruatum esse. Duae heic occurrunt voces, in quibus pondus est.

Saul IPSVM *Samuelem* AGNOVIT.

§. XXXIIII.

הוא. Prima vox est pronomen הוא *ipse.* LVTHERVS quidem in versione sua id leuissima nota (es) attigit: daß es Samuel war. Anglica item iusto minus eius rationem in his verbis, *that it was Samuel*, habuit. Sed meretur id in meta-

metaphraſi notantiori voce eleuari. Quum enim haud inveniamus hanc verborum ſequelam: כי הוא שמואל ſed vltimo loco הוא ita quidem ponatur כי שמואל הוא atque שמואל cum הוא per ſeruum Munach coniungatur: facile hinc patet, הוא per *ipſe* reddendum, nec pro *ſubi: Eto*, ſed aſſeueratione praedicati habendum eſſe. *Sed agnouit* SAVL, *quod Samuel* IPSE (ſcilicet *adeſſet*). Omitti enim verbum ſubſtantiuum, *ſum*, ſolere apud Hebraeos, nemini, niſi plane Ἀναβχίοις, iguotum eſt.

§. XXXV.

יָדַע Altera vox ſontica eſt יָדַע. Non dicitur, יאמן *credidit*, *perſuaſit ſibi* SAVL, *coniecit*, *opinatus eſt*, quod Samuel ipſe eſſet, ſed fortius vocabulum a ſcriptore ſacro electum eſt וידע שאול כי שמואל הוא *ſed* ſtatim, poſtquam mulier illa dixerat, (ſeu *tunc*) AGNOVIT *Saul*, *quod Samuel ipſe eſſet*. Verbum ידע, quod LVTHERVS expreſſit: Da vernahm (quaſi intellectu tantum) Saul / non ſolum eſt mentis, ſed itidem *ſenſus*, ac ſaepiſſime *cognitionem ſenſualem & experimentalem* ſignificat, * atque idem eſt, quod 1. Sam. XXVIII, 12. verbum תִּרְאֶ *vidit*, *ſenſit*. §. 32. Sic illud h.l. accepit verſio Iudaico-Germanica, ita habens: Und die Frau ſah Sauel und ſchrye laut. Vtique autem hoc loco vocem ידע de *viſuali* agnitione, & *intuitiua* Samuelis praeſentis ſenſione intelligendam eſſe, ſole meridiano clarius euadit 1) commemoratione *geſtus*, quo Saules reuerentiam erga Samuelem teſtificatus eſt v. 14. ויקד אפים ארצה וישתחו & *inclinauit ſyciput*, faciei connexum, leni motu, (more Europaeorum) *verſus terram*, deinde etiam (Aſiatico ritu) flexis genibus & *totius corporis proſtratione* decorum obſeruauit. Quis vero geſticularetur ita coram nihilo? Quis credat, Saulem tam verecunde ſe compoſiturum fuiſſe, niſi ipſum

* h.l. *idem eſt, quod* רָאָה,

Samuel

SAMVELEM, melioris saeculi consortem, his ipsis oculis suis vsurpasset? An fingimus nobis regem tam vecordem, vt coram bulla figurata in cado, & coram absente quodam, tamquam praesente, homine honorificos gestus modularetur? Marcuerint studia eius §. 25. sensu tamen communi & oculis nec SAVL nec adstantes duo amici priuati erant. 2) Accedit mentio magnae animi commotionis, timoris & horroris, quo attritus & enecatus fere, humi & deinde in lecto cubuit, teste versu 20. Hanc tantam trepidationem ortam esse ex adspectu ** SAMVELIS loquentis, & in eodem pallio, quod schismate illo fatali (pag. 38. 48.) insigne erat, ominose comparentis; adeoque indicium verae praesentiae eius esse, non possum quin existimem; memor, quod scriptura sacra ipsa *timorem* tamquam effectum & comitem singularis apparitionis ciuium beatiorum annotare soleat. Μὴ φοβοῦ, est primum alloquium cuiusuis angeli, ad homines missi.

* Exempla, vbi ידע de *adspectu oculorum* corporeorum adhibetur, plura in promtu sunt, quam vt contractum chartae huius spatium ea capere descripta possit. Sufficiat quaedam allegasse. Gen. XXXIII, 13. יֹדֵעַ COGNOSCENS *es* h. e. oculis tuis vides, *quod pueri multi, & grex ouium & boues foetae apud me, oneri & curae mihi sint.* Deut. VIIII, 2. *populum magnum & excelsum, filios Enakim,* famosos gigantes, *quos tu* יָדַעְתָּ COGNOVISTI h. e. vidisti, *& audiuisti quis &c.* Deut. XXXIIII, 10. Nec surrexit propheta amplius in Israel, sicut Moses אשׁר ידעו *qui* COGNOVISSET h. e. vidisset eum, *Jehouam* nempe *a facie ad faciem* familiariter colloquendo & intuendo. Conf. 1. Reg. VIII, 39. 2. Par. VI, 30. vbi ידע de clarissimo cognitionis genere inuenitur, qualem homines quidem *sentiendo* impetrant. Dan. II, 29. הורעך *ostendit tibi*, rem oculis tuis subiecit. Jes. LIII, 3. יודע חלי, & EXPERTVS *morbos.*

bos. Pſ. LV, 14. per nomen מְיֻדָּע intelligitur familiaris, quem *praeſentem* ſaepe expertus erat Meſſias. Pſalm. LXXXVIII, 9.

** Sit, quod ea nocte & praeterita die corpus cibo recurare neglexerat Saul. Huic vero inediae, tam breui, quis tribueret, vt *hoc* momento, quaſi contabescens, procumberet Saules? Sit, quod argumentum reſponſionis moeſtiſſimum penitiſſime eum affecerit. Quaero enim, num is, qui interritus ipſe conuenerat fatidicam mulierem, propter ſpumam aquae admiſſurus fuiſſet tantam moeroris molem? num tanta conſternatione oppreſſus eſſet, niſi ipſe admirandae ac portentoſae rei, humati SAMVELIS, contuitus animum eius deuiciſſet?

§. XXXVI.

Noli quaerere, cur non dicatur וַיַּרְא שָׁאוּל, ſicut v. 12. verbum רָאָה exſtat. Nam יָדַע multo aptius h. l. erat verbum. Solet enim adhiberi 1) generatim de *ſenſationibus*, de cognitione, non modo ſenſu viſus, ſed etiam auditus reliquorumque organorum acquiſita. Quando igitur memoratur, יָדַע שָׁאוּל: indicatur, Saulem non ſolum *contemplatione* Samuelis, verum etiam *auditione* vocis, & omni vi ſenſoria certiorem redditum eſſe, hunc eundem eſſe, quem alias viderat & audiuerat, Samuelem. 2) Ideo etiam יָדַע praegnantius eſt verbo רָאָה, quia inuoluit *conuictionem firmam*, cognitionem, quae ſolido mentis iudicio innoteſcit. 2. Sam. XVIIII, 20. Pſalm. LI, 5. de cognitione approbante. Iob. XVIIII, 25. Num. XIIII, 31. Senſus igitur iſtis verbis hic funditur: *Et plane conuictus erat* SAVLES, non ἰδιῶτα, non credulus, inſtar imperitae plebis, non e longinquo ſtans, non ita derelictus a ratione, vt palpabili fraude decipi poſſet, *quod Samuel ipſe eſſet. Agnouit*, eum, ſeu eo iam viſo, reproducebantur eae perceptiones, quas olim eo viſo ſenſerat. Inſtituta attentione, per affectiones Samuelis continuata (logici *reflexionem* vocant,) & comparatione, indubium

ſed efficacius.

Sauli fuit, quod hic verus ille Samuel esset. Quem vero Saul ἀυτόπτης habuit pro Samuele indubitato, eundem vt nos quoque agnoscamus pro Samuele, sat multa suadent.

§. XXXVII.

Ratio IIII. Momentum quartum, quod loquitur, verum Samuelem in conspectum Saulis prodiisse, est *stupor, & anxius clamor mulieris.* Hic sane arguit, plane insoliti aliquid heic accidisse, atque feminam vidisse speciem plane diuersam ab iis, quae in re hydromantica apparere solebant, & iam quoque appariturae fuissent, si superstitiosum tenorem suum exorsa esset. Si nihil inusitati heic obuenisset ei, cur tantus horror eam incessisset? cur tam acuto & repentino clamore visum ostentum excepisset? Artem suam aquariam tam saepe iam luserat, vt consuetas figuras satis nosset. Nec erat, vt ideo frontem corrugaret, & prae horrore ad toruitatem formaret. Sed scriptor sacer, vt sciremus, verum Samuelem se oculis mulieris praebuisse, deliberata industria commemorat: ותרא האשה את שמואל ותזעק בקול גדול v. 12. *Quum videret femina Samuelem: clamabat* inusitato more *voce magna.* Haec saeua, profunda, vlulabilis & inaudita vociferatio, index est angoris animi singularis, quo correpta est mulier. Angor autem & terror monstrificus prodit, mulieri aliquid tremendum, singulare, inimicum, diuinum & אלהים perfectius, in occursum veniisse.

Lamentatio mulieris, quam terror peruaserat.

Qui dicam nostrae sententiae scribunt, solent hac προφάσει vti:

I. Mulierem non clamasse ob insolitam apparitionem, & praesentem prophetam mortuum, sed ob capitis periculum; quippe quum cognouisset, hospitem suum esse ipsum SAVLEM, eam metuisse, ne de vita sua actum esset, postquam parata fuerat ad necromantiam in hydria.

RESP. Distinguendi sunt duo terrores, quos ipse textus facer secernit. *Primus terror*, quem toruo boatu testabatur, vti-

que

que excitabatur *aſpectu veri Samuelis.* Quid enim clarius, hoc ipſo, eſſe poteſt ex his verbis? v. 12. ותרא האישה את שמואל ותזעק בקול גדול. Quum mulier *videret* (ecce cauſſam formidinis, viſionem!) SAMVELEM, hoc inexſpectato adſpectu cominota, *ſuſtulit vocem magnam.* Haec ſeparatim narrantur v. 12. eſtque Athnach in גדול.

Deinde demum, viſo Samuelis aduentu, quum componeret has duas propoſitiones: Prophetae, qualis Samuel, ſolent non niſi reges & principes aditu ſuo honorare, p. 48; Hoſpes meus ſtatura eminet, atque, vbi curatius eum conſiderauero, cogitoque viciniam caſtrorum, non diſſimilis Sauli; quum ex iis celeriter collegiſſet, hic ipſe eſt! tunc nouo timore conſtringebatur, ſubiecitque: *Quare decepiſti me, tu es Saul.*

II. Ad Saulem eo maiori ſpecie fallendum, clamaſſe mulierem.

RESP. Neſcio, 1) quid *clamor* ad fallaciam collaturus fuiſſet. Solebat potius, teſtibus auctoribus profanis, nekromantia hydromantica *muſſitando* peragi. Submiſſa voce vtere! primaria lex fuit; ceu *olla pipiens in terra* Jeſ. VIII, 19. C. XXIX, 4. 2) Auctor ſacer non refert, eam, vt perſuaderet Sauli, Samuelem adeſſe, clamores dediſſe, ſed teſtatur, QVIA *Samuelem viderat, clamaſſe.* Jubemur igitur a ſacris litteris, illum clamorem non habere pro callido ad dolum *ſtruendum* artificio, ſed pro effectu *iam conſpecti veri* Samuelis. 3) Si non ex anguſtiis, ſed vafricie duce vociferata eſſet, adeoque iam antea nouiſſet, *hunc eſſe Saulem*, non promtam ſe exhibuiſſet ad rem ollariam exercendam. §. 26. & extremum periculum ſubeundum.

§. XXXVIII.

Probatio quinta, qua ſtabilitur, verum Samuelem ſe SAVLI oſtendiſſe, eſt *praedictio futurarum rerum*, quae nec diabolo nec humanae menti tam accurate conſtant, ſed ſoli Deo patent Eſ. XXXXI, 22. XXXXVI, 10. *euentu comprobata.* Verba ſacra haec ſunt v. 19. ויתן יהוה גם את ישראל עמך ביד פלשתים ומחר אתה ובניך עמי גם את מחנה ישראל יתן יהוה ביד פלשתים Mitto iam *tum* ſextuplicem *Ratio V. Prophetia veriſſima.*

plicem nominis IEHOVA repetitionem, tartareo genio plane non conuenientem, *tum* ea, quae de translatione regni Israelitici in Dauidem, in grauissima hac oratione occurrunt, si quidem illa aliunde facile constare potuerunt. Sed ecce praeterea congeriem vaticiniorum! Indicitur 1) MORS hominum principum, qua a) numerum & personas, *quatuor*, tu & filii tui, b) qua modum, *per Philistaeos*. 2) TEMPVS mortis, (מחר cras, vno eodemque die imminente.) 3) *Exercitus Israelitarum* PROFLIGATIO, (Iehoua dabit Israel tecum in manus Philistaeorum.) 4) *Corporis Saulis* ignominiosa *tractatio in manibus Philistaeorum* (tecum.) 5) *Amissio* CASTRORVM *Israeliticorum.* (Etiam CASTRA Israelis dabit Iehoua in potestatem Philistaeorum.) Haec singula accuratissime impleta sunt, συστοιχότερα profecto, quam vt ii, quibus praeconceptae opinionis vis non oculos & mentem ademit, haud perspicerent, ea diuinitus praedicta esse. Euentus, inquam, impressit illis dictis diuinae originis vestigia. Nec insuper habendum est, a) scriptorem sacrum tam studiosam operam complemento illi monstrando consecrare. Nam 1. Sam. XXXI. nihil omittit, quod ad testificandam consensionem praedictionis cum re ipsa facere potest; immo vero singula momenta bis, terue repetit. 1) v. 2. *Inhaeserunt Philistaei Sauli & filiis eius*, & interemerunt *Ionathanem, Aminadab & Malkisua; & vulneratus** *est Saul*, itemque v. 6. וימת שאול ושלשת בניו *& mortuus est Saul & tres filii eius.* 2) v. 1. τὸ *cras* in immediata connexione per ו copulatiuum latet; ET *Philistaei* vltro *inuadebant statim Israelitas.* 3) v. 1. וינסו *& fugiebant viri Israel & cadebant vulnerati in monte Gilboa* 4) v. 9. *inueniebant corpus Saulis Philistaei, & abscinderunt caput eius*, suspenderunt corpus moenibus Bethsanis. 5) v. 7. *reliquerunt ciuitates, & fugerunt, & venerunt Philistaei,* & HABITARVNT *in iis.* b) Nec statim obmutuisset SAVLES, nec, viribus prae subitanea moestitia deficientibus, in humum collapsus esset, nisi singularis vis eius, qui SAMVELEM ἐπιφάνιον miserat, animum Saulis perculisset, ac verba haec, tamquam verba diuina, per *verum* Samuelem prolata, nobilitasset.**

diuina.

* I.

* I. Obiicitur contra haec ab iis, qui laruatum quendam a *diabolo* Samuelem heic videre malunt:

A) *Mendacium contineri verbis citatis duplex;* patrem mendacii igitur Joh. VIII, 44. potius quam verum Samuelem ea enuntiauiſſe.

a) In eo, quod dictum ſit, *proclium ſequenti die euenturum eſſe,* quod tamen poſt biduum demum eueniſſe videatur.

RESP. Non dicam, מחר heic παχυλῶς ſumi, vt Gen. 30. 33. Joſ. IIII, 6.7. conf. NOLDII *Concord. partic. Hebr. Chald. p. 599.* GLASSIVS *Philol. Sacr. L. III, Tr. 5. p. 946.* (Lipſ. 1725.) Sed ſtrictiſſime ſume *cras* (nam decet in vaticinio,) & tamen expedita res eſt. Fac enim, hora XII nocturna Saulem perueniſſe ad mulierem; & *poſt horam I apparuit Samuel, atque illud vaticinium edidit.* Nam caerimoniae obbariae nullum tempus abſumſerunt, quippe iis non opus fuerat §. 26. Imo ne praeparatoria quidem molimina omnia peracta ſunt. *Endor* non longo interuallo diſſitum fuiſſe videtur a *Gilboa.* BVNTINGIVS *in itinerario ſcript. ſ. p. 124.* dicit, *vnum* milliare. Sat itaque temporis reſtitit Sauli, reuertendi in caſtra ſua; & dimicandi cum hoſtibus, (mox irruentibus, & repentino hoc incurſu praeuertentibus mandatum Saulis, vt filii ſui praelio ne intereſſent.) antequam ſpatium illud, quod מחר *cras* vocatur, euaneſceret. Tenendum enim eſt, Hebraeis νυχθήμερον, עֶרֶב וָבֹקֶר, Pſalm. 88. 2. totum diem cum annexa nocte (trita in vulgus voce עתה) *hodie*, CRAS, *poſtridie* κ. τ. λ. nominari.

b) In eo, quod ſpectrum pronunciauerit, vel *beandum* eſſe Saulem, vel probos filios Saulis cum Saule *condemnandos* eſſe; in verbis nempe: אתה ובנך עמי *tu & filii tui* MECVM eritis. Vtrumque autem a vero eſſe remotiſſimum.

RESP. Quo anima Saulis delata ſit, iam haud diſputabo. Hoc dico, omnem illam accuſationem dilemmaticam fundamento deſtitui. Nam phraſis עמי MECUM *eris* neque beatitatem neque condemnationem infert, ſed ſolum

A) *diſceſſum ex hac vita.* Samuel enim, qui dicit MECUM *eris*, ſeſe conſiderat talem, qualis erat, nempe tamquam *ciuem* τῆς שׁאול. Confecta res eſt, ſimul atque, vt par eſt, hoc dederis, cum IOSEPHO, qui l. c. dicit, *Samuelem ἐξ ᾅδου veniſſe.* Iam enim memineris, quid proprie.

b) SIGNI-

1) SIGNIFICETVR voce שְׁאוֹל. Ea, descendens a שָׁאַל *quaesiuit, desiderauit, appetiit*, vi huius originis, proprie notat α) statum *desideratum, oculis non visibilem, abstrusum* & ABSCONDITVM iis, qui in his terris militant, q. d. ἀϊδης pro ᾅδης. Alludit eo Bildad Suchita Iob. XXVI, 6. ערום שאל נגדו *retectus est coram eo Deo locus ille abditus*, a nostro conspectu remotus. β) locum *semper desiderantem & plura poscentem*, INSATIABILEM. Respicitur ad hunc significatum Prov. XXX, 15. 16. vbi *Scheol* accensetur illi triadi, quae exsatiari nequit. Resultat ex vtraque hac notione valor hic: τὸ שאל est conditio, siue laeta siue tristis, *in qua animae sunt post dissolutum cum corpore suo commercium, vita animarum in saeculo, quod praesenti* (ארץ החיים terrae viuentium Gen. 42. 38. Ps. 30, 4.) *oppositum est;* optimeque vertitur Ψυχοδοχεῖον. Mens igitur Samuelis in effato isto: *tu & filii tui mecum eritis*, haec est. Eritis *Scheolici!* Exsistetis in statu illo α) qui vos oculis hominum huius vitae subducit; euitare haud poteritis, quin crastino die deueniatis in eum locum, β) qui, semper capax, saturari non potest. Quid hoc sibi vult? praeter hoc: Eritis in statu mortuorum, *non amplius in eo, in quo nunc estis* constituti, sed *in eo, in quem ego iam ante aliquod tempus sum transpositus.* Haec *latissime* patens significatio corroboratur etiam

2) IMAGINE, quam libri diuinitus dictati τῷ *Scheol* passim assignant. Pingunt illud spatiosissimum animarum hospitium, (cuius vniuersi nomen שאל esse modo dixi,) *in duas amplissimas classes distinctum*, quarum vna felices capit, altera cruciandos custodit. Confer phrasin Luc. XVI, 26. μεταξὺ ἡμῶν καὶ ὑμῶν χάσμα μέγα hiatus magnus ἐστήρικται. Vnde procliue est visu, *in* SCHEOL *commorari*, nec idem esse ac *gaudiis caelestibus frui*, nec idem ac *tormentis angi*. Ex diuersitate *subiecti* recipiendi, vel digni sede beata Gen. 37. 35. Ps. 88, 4. Ps. 16, 10. vel indigni, alterutrum harum idearum fluere possit, minime autem e communi nomine שאל. Samuel igitur, dicens: *eritis* MECUM, videlicet in שְׁאוֹל, magno illo φρουρίῳ animarum bipartito, sed aliud nullum verbulum adiiciens, neque damnat, neque beat.

B) *Inuitationem* tamen ad meliorem frugem inesse simul huic phrasi, quae Samuele dignissima est, admiror. Selegit hanc humanissimam & amantissimam diuinus nuntius e multis

tis aliis prudentiſſime, non ſolum vt indeterminatum modeſte relinqueret, in vtrum τῇ *Scheol* domicilium Rex deferendus ſit? verum etiam vt tum nutu huius mitioris vocabuli *partim* ſpem SAVLI ſubobſcuram faceret, vtique fieri poſſe ſeria ad DEVM conuerſione, vt aeterna ſupplicia effugeret, atque aeternae pacis, in conſuetudine cum Samuele iucunda, potiretur; *partim* vt, ſe hoc optare, declararet. Si LEO ALLATIVS hunc molliusculum loquendi modum, vt decebat, obſeruaſſet, non tam durum eius de hac oratione decentiſſima futurum fuiſſet iudicium; in qua omnia, venditat, ad Saulem in deſperationem conſciendum comparata eſſe.

B) *Diabolo, tamquam* CARNIFICI, *reuelatas diuinitus eſſe has neces*, arbitratur AVG. PFEIFFER *in dubiis vexatis ſcript. S.* p. 379. (Lipſ. a. 1713.)

RESP. Non liquet, cacodaemonem omnes impiorum mortes perficere. HERODES *Agrippa*, in CHRISTI diſcipulos, vt Iudaeis gratior eſſet, ſaeuiens, dicitur Act. XII, 23. percuſſus ab *angelo Domini*, adeo vt ex verminantis alui morbo inter magnos dolores periret. Per *angelum Domini* autem intelligere *angelum deſertorem*, parallelismus N. & V. T. minime permittit. 2. Reg. XVIIII, 35. itemque Eſ. XXXVII, 36. docemur, *angelum Domini* in caſtris Aſſyriis 185000. hominum ſtragem feciſſe, ſiue per fulgura Jeſ. XXIX, 6. C. XXX, 30. ſiue alio modo. In Aegyptiis ſubmergendis Exod. XIIII, 19. 20. *angelus Dei* partes habuit. Percuſſor primogenitorum Aegyptiorum fuiſſe videtur bonus, (non obſtante Pſ. LXXVIII, 49. rectius intelligendo). Sodomitas perdiderunt *angeli boni*, ipſis teſtibus Gen. XVIIII, 13. Hebr. XIII, 2. Multo minus palam eſt, pios, vbi occumbunt, ab infernali dracone occidi. Iobi vita reſeruatur, quum fortunae Iobi ei permitterentur Job. I, 12. conf. Luc. XVI, 22. Pſ. XXXIIII, 8. Pſ. LXXXXI, 12. Piorum aliqui ſaltem in excercitu Iſraelitico fuerunt. Eos ac pium Ionathanem a diabolo trucidatos eſſe, incongruum dictu eſt. Si vero diabolo, tamquam lictori, tota iſta clades 1. Sam. XXXI, 1. ſeq. non adſcribenda eſt: nec opus fuit reuelatione tam ſingulari de Saulis & filiorum eius trium obitu, tam mature, ante conſertum proelium, prout dictitant, facta.

Quod concedo, hoc eſt, malignum ſpiritum iurgia 1. Cor. VII, 5. & bella Job. I, 14. Dan. X, 13. pro virili inflammare; &, accepta ſingulari venia diuina, etiam amicis Dei externa quaedam incommoda inferre poſſe 2. Cor. XII, 7. 8. 9. Apoc. XIII, 13. coniungendo cauſſas naturales, ſed non tollendo. Job. I, 12-19; praeterea autem, vti multa, praecipue futura contingentia, ignorantem Gen. XLI, 9. Dan. II, 11. ideoque oracula ambigua loquutum, ſic etiam valde circumſcriptum canem eſſe. Job. I, 10. Gen. XXXII, 1. 2. Reg. VI, 17. Zach. III, 7.

Qui mulieris Endoreae heic omnia peracta eſſe ſciſcunt, ſic inſtruunt argumenta ſua: I. *Ipſa dubitans pronuntiauit illa verba* v. 12. *mulier*, *& forte fortuna impleta ſunt.*

RESPONDEAT, quamquam alio ſcopo, vir in maxima laude poſitus: „*Quis vitae ſuae non conſulit? Capitis profecto in periculum potuiſſe incurrere feminam, ſi falſa narratione regi illuſiſſet, vel exemplo Michae patet, quem Ahabus in carcerem miſit, ſe redeunte incolumi, ſine dubio occidendum 1. Reg. XXII, 27. Quis audet meras coniecturas de maximis malis regibus proponere, niſi qui vitae ſuae pertaeſus eſt? Experiatur talem audaciam, qui feminam tam audacem docet, in ſe: continuo ſentiet, an eodem animo mulier potuerit eſſe affecta. Scilicet in capitis periculo notabili declinando, in quo nullus non defixus eſt, fingitis ſtultiſſimam feminam; in coniiciendo autem grauiſſimi belli exitu, regisque periculo alieno magis prudentem, quam* STATVS MINISTRVM *exercitatiſſimum. Quae, quomodo cum veritate conciliari queant, equidem neſcio.*„ Inſigne momentum trahit, puto, quod illa praedictio tunc dabatur, quum mulier iam deſierat neſcia eſſe, quod hoſpes ſuus eſſe Rex.

II. *Prudentia ſua illos euentus mulier praecepit*, pergunt. Nam

A) *Hebraeos proelio inferiores diſceſſuros eſſe*, id colligere potuit ex eo, quod Hebraei fortitudine & numero inferiores erant.

RESPONSIONEM repetamus e libro, qui certus perpetuae exiſtimationis eiusdem modo laudati viri teſtis eſt. *Atqui 1. Sam. XIII, 6. profugi erant a Philiſtaeis Hebraei, ſolo ferme in caſtris manente* SAVLE, *nec tamen ſecutum eſt infelix*

felix proelium. Aegre etiam parebant Hebraei, immo vero obtrectabant Saulem 1. Sam. XIII, 4. Nec tamen non posthaec vicit. Annon ea poterant sagae venire in mentem?

B) *Colligere*, inquiunt, *potuit mulier filiorum Saulis occisionem ex nota cupiditate eorum in pugnando, repudiato fugiendi consilio.*

RESPONDET idem ille vir excellens: „*Nota quoque debuit mulieri esse pietas* JONATHANIS, *quae semper DEO grata quaeque pro illorum temporum ratione maiorem incolumitatis futurae spem praebebat, ac nunc quidem, vbi meliora compensantur. Et quomodo potuit in Dauidem cadere suspicio agitati de occidendis regiis gnatis consilii? Per Palaestinam omnem tum vulgata fuit amicitia, quae inter* DAVIDEM & JONATHANEM *intercedebat.*„ Discessio enim Dauidis ab exercitu Israelitas infestante, non sine prouidentia diuina facta 1. Sam. XXVIIII, 11, praeteruehebatur notitiam obbariae.

SECTIO III.

QVOD DEVS IPSE CAVSA SIT APPARITIONIS SAMVELIS. §. 39-41.

§. XXXVIIII.

Quum verus, qui hanc vitam liquerat, Samuel se Sauli praesentem exhibuerit (Cap. I. Sect. II.), id inter *miracula* & seriem euentuum ordinis sublimioris numerandum esse, nemo non concesserit, qui TVM nouit, quibus notis prodigia dignoscenda sint, TVM perpendit, eiusmodi resurrectiones a naturae cursu haud proficisci. Neque vero nisi *diuina* virtute hanc miraculosam Samuelis reproductionem praestari potuisse, vix diffitebitur quisquam. *Benedictus sit* IEHOVA, *faciens mirabilia solus!* Ψ. LXXII, 18.

α) Certum est, solum Deum mortuis imperare Cohel. XII, 7. Sicuti vnicus requisitis eo perfectionibus & dominio necessario praeditus est. Ipsi enim soli τὸ ζωοποιεῖν τοὺς νεκροὺς tribuitur Rom. IIII, 17. 2. Cor. I, 9.

Deut. XXXII, 39. 1. Sam. II, 6. Nehem. VIIII, 6. Pſ. LXXXX, 2. 3. β) Nec citra conſilium bis, 1. Sam. XXV, 1. non modo, ſed etiam Cap. XXVII, 1. memoratur, Samuelem *re vera mortuum, ſepultumque eſſe.* Id eo tendit, ne quis dubitet, qui heic colloquium Samuelis cum Saule legit, vi ſingularis mandati diuini Samuelem remiſſum eſſe. Haec a legibus naturae exceptio pro exſtantiore ſpecialis prouidentiae documento habenda eſt, nitens finibus Dei, praeter iſtos §. 28. indicatos, plurimis, & ſine dubio ſat magnis; quamquam humanae caligini haud perſpectiſſimi ſint.

Qui gloriam huius miraculi Deo eripere laborant, *quatuor* difficultates opponunt.

I. *Scripturam ſacram diſertis verbis non teſtificari*, quod DEVS Samuelem ablegarit.

RESP. Nego *maiorem*, diſertam teſtificationem requiri. α) *Conſectario* ἀσυσάτῳ. Id plus iuſto probat. Nam ſi nihil verum eſſet, niſi ſimpliciſſimis verbis affirmatum, ceſſaret *hermeneutica.* β) κατ' ἄνθρωπον. Nec diſertis verbis in textu ſacro aſſeritur, diabolo vel mulieris technis aduentum Samuelis tribuendum eſſe. Iſte igitur *medius terminus* ſi eſſet acutus, vos ipſos etiam eius acies iugularet. Huc vsque pari Marte pugno. Ne huiusmodi quidem ſi inuenimus textus ſeriem: *Poſtquam carmen incantatorium abſolutum erat, vel poſtquam femina impoſturas praemiſerat; conſpectus eſt Samuel.* b) *Fulget virtuali teſtificatione* indoles totius narrationis ſacrae §. 30. ſeq. peropportune lectores monens v. 3. de vera morte Samuelis, atque tot referens indicia, verum Samuelem praeſto fuiſſe, quae prudentem & attentum lectorem praeterire nequeunt. Si verus Samuel fuit, §. 27-38. eo ipſo iam euidens eſt, non niſi a Deo eum miſſum eſſe.

II. Obiicit MARTINVS CHEMNITIVS *Parte III. Examinis concilii Tridentini* (Francof. 1578.) *pag. 226.* Saul expreſſe fatetur: *Dominus receſſit a me, nec vltra reſpondit mihi nec per prophetas nec per ſomnium.* Quare non credibile eſſe, Deum iam ei per miraculum reſpondere, & ſic tantopere honoraſſe.

RESPON-

RESPONDEO negando *conſequentiam.* a) Subſternitur enim illud falſum principium: *iram Dei eſſe immutabilem*, neceſſeque eſſe, quem ira diuina per biennium preſſit, eum illa perpetuo premi; eum, a quo DEVS receſſit ſubtrahendo beneficia quaedam externa, & ſucceſſionem poſterorum in regno, eum prorſus a DEO deſtitui. Nonne fauor diuinus reuerti poteſt ad hominem, qui defleuit peccata ſua, gratiamque Domini, in Meſſia recuperandam, anhelat? ad hominem, in quo ea effecta ſunt iſta derelictione temporaria, quae DEVS efficere per eam voluit? Miſericordiae ianua non clauſa eſt. Iudex iam differens reſponſionem, tandem reſpondet. Vel iudex inter homines, qui ad interrogationem profligati hominis ſemel & iterum ſiluit, ſolet tamen tandem reſponſionem ei impertiri, quamquam non gratam, quando videt, ad extrema eum delabi. b) Inuerti poteſt argumentum: *Si Deus nec per ſomnium, nec per prophetas reſponderat Sauli interroganti:* credibile eſt eo magis, Deum reuelatione praeter ordinem eum iam corrigere ſtuduiſſe. Vt ſilentium illud, quod ad teſtificandam indignationem neceſſarium fuerat, compenſaret, Saulemque ἀναπολόγητον praeſtaret; ſi quidem iſta nocte nec homo propheta, citra miraculum, eo ipſo momento deduci ad Saulem potuiſſet. c) Non vnice propenſae voluntatis diuinae ſignificationem dedit, nec honorificentiſſima Sauli iſta Samuelis apparitio. Nam nuntius non ſuauiſſimus, ſed minis & increpationibus plenus fuit. Licet igitur eum dudum reiecerit, licet iratus fuerit ei: haec ira tamen non tollit reuelationem. *Et impiis miracula fiunt 1. Reg. 10. & 20. 2. Reg. 7. & 8.*

aa) Loquitur enim DEVS ſaepe in ira. Fieri igitur potuit ſaluis verbis iſtis v. 15. 16. vt Deus per Samuelem in malos auſus Saulis inueheret.

bb) Facit quaedam propter alios. Sic Achazo, etiam inuito, & alia cupienti, *ſignum dedit* Eſ. VII, 12. 14. Bileamo indigniori exhibuit, certo conſilio, quae ille non multum optauit. Num. XXII.

III. Obiectio tertia ab OCCASIONE FOEDA deſumitur, hoc modo: *Contra expreſſam prohibitionem* Deut. XVIII, 11. Lev. XVIIII, 31. XX. 6. SAVL *vetulam manticam conſuluit.* Hinc non eſt credibile, *quod Deus iuſſerit Samuelem, apparere Sauli. Honoraſſet enim rem obbariam.* RESP.

RESP. Nego *consequentiam.*

a) Valeret haec argumentatio, si diceremus, DEVM permisisse mulieri diuinatoriae, vt *ipsa* suis artibus & exsecrationibus Samuelem excitaret, arcesseretque. Si Samuel iussus esset, superstitiosis incantationibus impiae lamiae obsequi: videretur vtique DEVS auctoritatem attribuisse rei vetitae, approbasse hanc, atque sic pugnasse contra sanctitatem suam. Sed mulieris praestigiae minime fuerunt ratio visibilis aduentus Samuelis. (ne prouocauit quidem eum §. 26.) sed praepotens Dei liberrimi voluntas. Nec arte magica inductus est Deus, vt mitteret dilectum suum, sed aliis sapientissimis consiliis §. 28. occasionem dante Saule, primo Israelitarum rege, extremam infortunii lineam experturo.

b) Retorqueo neruum: Si contra interdictionem diuinam Saul ad manticam Aeliam Laeliam accessit: minime alienum est, *Deum superuenisse transgressioni, illicitumque propositum disturbasse.* Dignissimum enim est perfectionibus diuinis, peccata impedire, castigare peccatores; dignissimum, in casibus & personis *singularibus* (p. 32. 42.) id praeter ordinem fieri. Vt plurima in V. T. *minus ordinaria.* Apparitio nuntii iudicis inter homines, qui vetita moliuntur, non est *approbatio*, malarum actionum. Adfert saepe increpationem. Tantum abest, vt apparens SAMVEL testimonium perhibuerit rebus magicis, vel honestarit rem obbariam §. 24. 25. vt potius eam damnauerit. Grauissime enim sic reprehendit Saulem v. 15. 16. 17. *quare commouisti me ad educendum me? cur* exercendum vis id, quod DEVS detestatur? *Quare rogas me*, & audes exspectare, vt manes mei in aqua figurata tibi aliquid, inter caerimonias absurdae anus, significent? praesertim *quum Dominus recesserit a te?* τίς κοινωνία φωτὶ πρὸς σκότος; 2. Cor. VI, 14. Incredibilem etiam terrorem animo SAVLIS infudit praesentia sua, pro poena habendum. v. 20. 23. Si Saules blandiri sibi potuisset: non ita statui: *flectere si nequeo superos, Acheronta mouebo*, sed minus *prauum fuit consilium meum:* SAMVEL vel ipso aduentu suo foeditatem instituti Saulis manifestat, & ita reprobat, vt hic gloriari non posset, quod Arabes de honorificis salutationibus solent: شَرَّفْتُمُونَا سيدي بحضرتكم: Ihr habt uns geadelt, mein Herr, durch eure Gegenwart. Id

III. Obiectio denique repetitur a contemtissimo LOCO, vbi Samuel apparuisse dicitur, ita instructa: *Dedecere infinitam sapientiam, latibulum sagae & officinam magicam miraculo illustrare.* Id volunt verba viri ingenio supra ceteros eminentis: **Ist das dem allerhöchsten Wesen anständig, einen seiner gröbsten Knechte in das Haus einer Betrügerin und Teufels-Dienerin zu schicken?**

REGERO 1) Loca in se nullam culpam contrahunt, sed homines iis abutentes. *Terra est domini*, & ea omnia, quibus aedificia constant. Ps. 24, 1. Fugere deberent singulas aedes angeli, quia vbique peccatores foedi, licet non sint obbarii, habitant. Sed ingressi sunt boni angeli vel foedam vrbem Sodomam Gen. 19, 2. Incertum, an *saga* fuerit mulier? OBBARIA fuit §. 12, 24. Incertum item, an domus eius *officina* hydromantica fuerit. Videtur rarissime rem illam exercuisse, nec multum innotuisse ea, quia, exterminatis reliquis *obbis*, ipsa tamen in Saulis regno restabat. Nullum video fundamentum, cur domicilium impediret τῆ Σοφῆ consilia.

2) Planum est e textu sacro, Samuelem non ob feminam maculis pollutam, quae in fugam dabatur §. 28. III, sed ad *Regem*, Dei in terris Israeliticis vicarium, venisse, qui iam quidem in hanc domunculam secesserat.

3) Venisse vt iudicem, interdicentem, corripientem. (p. 64.)

4) Loco nullo magis indigebat SAVLES institutione & castigatione diuina, quam hoc ipso.

§. XXXX.

Quis adeo mitteret nuntium sanae rationi, vt autumaret, pro lubitu posse malos homines beatis regni perfectissimi ciuibus turbas facessere, easque arcanis artibus deuocare, quocumque & quandocumque velint.

Minime vero mulier auctor apparitionis fuit.

Audio haec dubia:

I. Dicit mulier v. 21. *Ecce ancilla tua obediuit voci tuae, & posui animam meam in manum meam.* Tribuit ergo sibi productionem Samuelis.

RESP. I. Nego hanc CONSEQVENTIAM: *tribuit sibi, ergo verum est.* α) Si humanitatem meretur illa femina: accusarem eam *mendacii logici.* Putauit forte, commissa *fallacia caussae, non caussae*, sibi aliquid huius rei acceptum

 feren-

ferendum esse. β) Sed suspecta magis est *mendacii othici*, profligatissima bipes, non fide sed fuste digna. Probe sciuit, se ne inchoasse quidem lusus suos, sed de praeparando vase primum cogitasse, quum SAMVEL iam adstaret. Sed hoc reticuit, immo, (ceu asslolet fumos vendere hoc hominum genus) alia simulauit, vt mercedem acciperet. Lucri cupidinem eius sapit etiam haec exaggeratio: אשים נפשי בכפי, *posui vitam in manum meam*, h. e. vitam summo periculo exposui, vitrum pretiosum.

2) *Nego* ANTECEDENS - - - *obediui*. Verba enim illa etiam de *conatu*, in *futuro periphrastico* valere possunt; ita quidem: *ecce ancilla tua* OBEDIRE VOLVIT *voci tuae*. Altera propositio, (nisi eam de terrore acceperis, qui, viso ἀπὸ μαχανῆς Samuele, feminae attonitae fere animam expressit) itidem sic reddi potest: & POSITVRA ERAM *animam meam in manum meam*, parata eram, contra regiam prohibitionem, obba mea diuinatoria vti.

Hebraeorum enim *verba completiua* saepe INCHOATIVE intelligenda esse; *actualia* autem, de proposito, praeparatione & conatu tantum, hoc neminem latet, nisi qui ad ea torpet, quae omnium philologorum vocibus frequentantur. Congessit quaedam exempla Glassius *in Philol. Sacra Lib. III. Tract. III. can. 7. 8. p. 751.* quibus quaedam addere non intermittam. Gen. XXXVII. 21. ויצילהו מידם *eripiebat eum*, h. e. *eripere* STVDEBAT e *manibus eorum* (er hätte ihn gern gerettet) Exod. VIIII, 15. שלחתי *emisi manum meam*, ich hätte können meine Hand ausrecken. Psalm. LVI, 2. שאפני אנש *deglutiit me homo*, actus completus pro solo conatu accipiatur, MEDITATVR, QVAERIT, *me absorbere*. CXXXIII. 3. Inimicus ineus דכא CONTVDIT *vitam meam ad terram* h. e. contundere proposuit sibi. Matth. XVII, 11. ἀποκατασήσει *restituet*, h. e. restituere conabitur. Joh. I, 9. ὁ φωτίζει πάντα ἄνθρωπον *illuminans*, h. e. illuminare studens omnem hominem. VI. 17. ἤρχοντο *veniebant*, pro venire studebant. X, 32. 33. διὰ ποῖον αὐτῶν ἔργον λιθάζετέ με; *ob quale illorum operum lapidatis me?* pro lapidare studetis. περὶ καλοῦ ἔργου οὐ λιθάζομέν σε, *ob bonum opus non lapidamus te*. h. e.

lapidare

lapidare ſtudemus; ſic explicatur Joh. X, 31. ἐβάσασαν λίθους, ἵνα λιθάσωσιν αὐτὸν. Aptiſſimus hic locus eſt, qui noſtrum tueatur. Nam ſicuti Judaei congerebant primum lapides, & tamen hoc praedicatum ſuſtinent λιθάζει *lapidant*: ſic de obbaria illa dici poteſt שמעה *obediuit*, licet in eo tantum eſſet, vt vas & aquam comportaret. Joh. XXI. 3. ἐρχόμεθα *venimus*, h. e. venire volumus. Jeſ. 53, 9. dedit, h. e. *daturus erat*. Exod. 33, 19. *cuius miſerturus eram*.

II. Samuel tribuit apparitionem ſuam Saulis interrogationi, adeoque mulieri interrogatae, dicendo v. 15. למה הרגזתני להעלות אתי *quare me inquietaſti, vt aſcendere faceres me?*

RESP. Verbum רגז *commouit* 1) vel de *voluntate & conatu* accipiendum eſt, p. 66. Non dicit, inquietatus ſum, ſed quare *commouere me* STVDVISTI ſuperſtitioſis artibus? 2) Vel de *occaſione*, Act. 1, 18. 1. Reg. 18. 9. h. e. Cur anſam das, vt a Deo iubear heic denuo comparere? Gratus quidem labor mihi eſt, ratione DEI volentis habita, ſed non ratione impietatis tuae eſt iucundus. Hoc modo רגז nouum indicium verae apparitionis Samuelis eſt, quà corpus *loco moti*, e ſepulchro, Rama Endorum. 3) Vel eo ſignificatu h. l. ſumendum eſt, quem tam multis locis Prou. 29. 9. Jeſ. 14. 9. C. 23. 11. C. 32, 11. C. 37, 28. 1. Samuel. 7. 10. Jer. 50. 34. Joh. 6. 9. 6. C. 12, 16. ſibi vindicat, & quo idem eſt, ac *indignationem alicui mouere*, h. e. quare laceſſis improbationem meam, iſta fere inſania? dum me deaſtrum quaſi facis, qui, velut vbique praeſens, in dolio tuo coriaceo reſponſi aliquid tibi det, inuito etiam DEO, cuius totus ſum?

§. XXXXI.

Nec in viribus diaboli poſitum eſt *excitare mortuos*, & quemcumque vel vnicum hominem, vere exſtinctum, vitae reſtituere. Hoc enim DEI vnice opus eſt §. 40. A) Multo minus malignus ſpiritus poteſtatem habet in Domino defunctorum. Miſerae eſſent triumphantes animae, tam magnificis nominibus in ſcriptura ſacra inſignitae, ſi ſatanae tyrannis intra conſummati regni CHRISTI limites protenderetur. Non

Nec diabolus.

Is nec reſuſcitauit Samuelem.

vocari id posset *liberum ab omni malo*, 2. Tim. IV, 18. nec illud, impleret mensuram reliquorum, quibus id commendatur, nominum suauissimorum.

nec corpore eius vsus est.

Ac si quis contenderet: *diabolum exanime* SAMVELIS *corpus e sepulchro eius domestico* 1. Sam. XXV, 1. *abstulisse, idem animasse, atque ex eo Saulem allocutum esse;* nae is affirmaret, quae, rationibus accuratius initis, neganda esse ipse cognosceret. Quemadmodum enim DEVS amicos suos totos, viuos non magis quam mortuos, amat, sic in pretio etiam habet corpora eorum.

Hoc eluceſcit 1) TVM e testimoniis sacris: e. c. Ps. XXXXIIII, 21. שמר כל עצמותיו Deus *custodit omnia ossa eius* (nempe *iustificati* per Christum v. 20. dilectum illum Eph. I, 6. qui pignus huius amouendae laesionis fuit) demonstrans veritatem oraculi sui 1. Sam. II, 30: מכבדי אכבד *honorantes me honorabo.* Ps. CXVI, 15. *Pretiosa est in oculis Iehouae mors amicorum eius.* Cant. VII, 10. 2) TVM ex curae diuinae circa mortuos exemplis: Quod ABRAHAMI, *Is. & Iacobi* monumentum sepulchrale inter barbaros populos, Hethitas & Cananitas, illaesum mansit. Gen. 32, 17. Quod corpus MOSIS sepelire DEVS ipse dignatus est, atque diaboli contra illud conatus inhibuit & infregit, Judae. v. 9; Quod DAVIDIS sepulchrum haud fiuit vastari, quotcunque & quam varii hostes interea temporis Hierosolymas vexarint, multaque alia antiqua ibi disturbarint. Jerem. VIII, 1. Baruch I, 24. 25. Poterat suo tempore Petrus ad cineres *Dauidis* praesentes prouocare, Act. II, 29. καὶ τὸ μνῆμα αὐτοῦ ἐστιν ἐν ἡμῖν ἄχρι τῆς ἡμέρας ταύτης. Quod Bethele PROPHETAE, quamquam lapsi, tamen pii, monumento 2. Reg. XXIII, 18. pepercit. Dixit enim, qui diuino moderamine impellebatur 1. Reg. XIII, 2. IOSIAS: *sinite eum quiescere, nemo moueat ossa eius,* quum tamen spurios prophetas, sepulchris exemtos, concremaret. Referri huc possit etiam, quod filius Dei haud dedignatus est, funeri probi iuuenis, sub comitatu ὄχλου τῆς πόλεως ἐκεινου elato, Luc. VII, 11, *appropinquare.* Sic enim festinans, vt obuiam veniret honorifico comitatui, & apparatum publicum minime reprehendens, declarauit, solemnia publica, quibus honor fit piorum corporibus, sibi minime displicere. 3) TVM ex dignitate humani corporis, quale filius Dei assumsit Hebr. II, 14.

II, 14. immo vero ex eo, quod corpora regenitorum sunt *templa Spiritus sancti* 1.Cor.VI, 19. 2.Cor.VI, 16. *membra Christi* 1.Cor.VI, 15. XII, 27. Rom. XII, 5. Eph. V, 23.

Quum igitur tantum piis tribuat Dominus: quis credat, eum turpissimo genio permittere, vt corpora illorum effodiat, rapiat, atque in ea irrepat? Qui populis instinctum dedit, ad suos sepeliendos, eosdemque horrore effossionis cadauerum perstrinxit; qui piorum, quum heic degerent, corpora custodiuit, nonne idem cura eorum, quando in terra reposita sunt, vlla tangeretur? An putamus, Deum tam parum sollicitum fuisse de SAMVELE suo, qui fuerat gloriae diuinae vindex & idololatriae expugnator acerrimus, populi pater, baculus infirmorum, tutamen innocentium, vt sanctae animae instrumentum, corpus eius, vt ea membra, quibus Spiritus sanctus ad optima quaeque opera vsus fuerat, iam impuro spiritui obsidenda atque auriganda traderet?

Quod aliis in mentem venit suspicari, *diabolum schema Samuelis induisse*, seu ex aere confinxisse aliquid, quod eum quam maxime retulerit, huic autem phantasmati pallium quoddam seu speciem eius circumiecisse, id non minoribus incommodis premitur. PARTIM enim migrant illi auctoritatem diuinae narrationis, quae nihil de figura dicit, sed sic habet §. 30: *Samuelis* manes, ex desiderio Saulis, in aquis, igni foueae imponendis, ac discoloribus figuris explorandos fuisse, §. 12. 24. *Samuelem* ab artificula visum, *Samuelem* a Saule agnitum esse, *Samuelem* ex Saule quaesiuisse, *Samuelem* Sauli respondisse, *Samuelem* Sauli omnem fere hilaritatem eripuisse. *nec id simulauit.*

Qui tam iniusti sunt, vt haec verba negligenda esse, dictitent, ii suspectos se reddunt exigui erga veritatem amoris, suspectos, quod ipsorum verbis parum fidendum fuerit, si forte aliquid ore vel scripto relaturi sint. Videntur ex suo ingenio aestimare diuinum scriptorem. Vt enim sumus, sic libentissime alios iudicamus.

Sed mirifice fallimini, o homines! parati ſiue ad mentiendum, ſiue ad mentem veſtram amphiboliis exquiſitis infarciendam. Sitis procliuiores ad locutiones κατὰ δόξαν, aliter ſonantes, aliter intelligendas! obliuiſci ſitis leges hiſtoriae capitales: „*Le deuoir de l' hiſtorien eſt, du raconter les choſes paſſées*, COMME ELLES SONT ARRIVÉES. *Il doit faire plus état de la verité, que de ſon interet, ou de ſa paſſion. Car c' eſt la ſeule diuinité, à laquelle il doit ſacrifier, ſans ſe ſoucier de reſte.* (Quick all to follow Truth.) *Le plus grand ſeruice, qu' on peut rendre au public, c' eſt, lui dire la verité.* „Scriptor ſacer hiſtoriam ſcripturus ſcripſit hiſtoriam; h. e. ſcripſit ſincere res geſtas, minime reluctante veritate. Scripſit perſpicue optimus verborum ſuorum 1. Sam. XXVIII, 13-20. (§. 30. & ſeq.) interpres capite XXXI, 1-7. vbi complementa oraculorum *vatis* recenſet. Haec ſollicitiori cura recenſere, nihil aliud eſt, quam iudicium ſuum exſerere, rem *diuinis* machinis actam, & *verum* Samuelem praeſto fuiſſe. Hoc autem iudicium eius quo valet, quam eo, vt noſtris palantibus ſubinde iudiciis optimam metam, tutam viam oſtendat?

PARTIM eiusmodi μιμήσεως permiſſio repugnaret ſummis ſanctiſſimi Numinis virtutibus, quod fidos ſui cultores ludibrio haud exponit, quod fraudibus Satanae obicem ponit. *Generatim*, me quidem iudice, minus probabile eſt, laxatas adeo eſſe animarum aucupi habenas, vt ſub larua ciuium Dei demortuorum appareat,

1) *Ob damnum* vix medicabile, apud viuos ex iſta indomita imitatione oriturum. Innumeras, & quis exſequi verbis poſſit, quantas? fraudes perficeret planus ille, ſi integrum ipſi eſſet, e ſpecie vultus & oris nuper defunctorum Patrum, CHRISTO deditiſſimorum, oracula ſua protrudere, & ſub ſchemate ſpectatiſſimorum eccleſiae doctorum impudentia mendacia ſua, blasphemias ac errorum flagitiorumque ſemina vendere. Si id ei liceret, eſſet mirum ſane, quod huc vsque nondum loco fidelium euangelii praeconum cathedram ſacram conſcendiſſet improbus agyrta. Mirum, quod ſub ſpecie haud ita pridem mortui, notiſſimi, nondum proclamauiſſet:

ſet: *nec Deus, nec actio mala, nec iudicium extremum datur! falſa tota ſcriptura ſacra!* Maiorem enim vim apud multos, ad lucem veritatis obnubilandam, habiturum eſſet tale praeconium, ſub accuratiſſima figura ſatis olim cogniti probatae pietatis viri, euomitum, quam occurſacula & ſtrepitus τῶν υἱῶν τῆς ἀπειθείας, quos nemo ſanus pro ſanis habere ad huc potuit. Sed exempla deſunt, tam acutum cultrum huic latroni diuinitus, ad homines interimendos, conceſſum eſſe.

2) *Ob incredibilem* DEI *erga ſeruos ſuos*, beata ἀναλήψει rebus humanis ereptos, *amorem*. Sicuti enim corpora eorum, organa gloriae diuinae, theatra victoriae incomparabilis, honorifice habet, & honore proſequenda eſſe vult (pag.68.69.) ſic etiam *formam*, & *vultum* eorum non contemnit, *in reſurrectione reſtituendum;* non profanari illa patitur luſibus ſuſpectis, ſub ſpecie eorum exercendis. Sine venia Dei autem ne *pediculi* quidem apportandi, vel ſpeciei pediculi, dominus eſt immane cauernis e ſtygiis monſtrum, Exod. VIII, 18. Pertinet tamdiu figura & habitus faciei hominis ad τὸ ἴδιον eius, quamdiu alii vſu illius noxam inferre iſti poſſunt. Cur tanta facierum diuerſitas hominum, immo vero brutorum? Fruſtranea haec, ſi Satan *formas ſe vertit in omnes.*

Speciatim calculum album vix ac ne vix quidem meretur, quod lupus auerni ſchema, vocem, & reliqua SAMVELIS ſua fecerit,

A) quia Samuel ſodalis Pſ. XXXXV, 8. immo typus Chriſti in munere eius prophetico fuit, a natiuitate ſanctus.

B) Quia DEVS hac permiſſione *auctoritatem vanitatum hydro-necromanticarum*, quas tamen exterminandas volebat, mirum quantum *ſtabiliuiſſet*, ac throno quaſi impoſuiſſet. Qui pro aranearum telis eas habuerant, iam ſcrupulos quosdam concepiſſent, odium earum fere ſuffocaſſent, & pro ſolida arte reputaſſent iſtud negotium diuinatorium. Fateor,

ſi

ſi audiuiſſem, aniculam aquariam ſuas artes periclitatam eſſe, vt Samuel adeſſet, his vero abſolutis ſeſe ſtitiſſe Samuelem, me vix ſecus creditu-rum fuiſſe, quam quod artes illae vtique eum, ſpeciem aliquam ſaltem, excantarint, ſaltem cooperatae ſint.

* * *

Obiicit AVG. PFEIFFER l. c. de *ſpectro Endoreo*, &, ſi recte e priſtina lectione memini, J. H. HEIDEGGERVS *Diſſert. Select. Tom. I. diſſ. X. de Pſeudo-Samuele a pythoniſſa in Endor excantato*):

I. *E ſolo ſchemate aſſumto nullam iniuriam in* SAMVELEM redundaſſe.

RESP. Qui ὑποθέσει μὴ δουλεύουσι, ſed aequitati locum aliquem relinquere volunt, facile intelligent, vtique Samueli iniuriam factam eſſe, ſi cacodaemon incongrua loquutus eſſet, & praetexto Samuelis vultu & habitu omni abuſus fuiſſet, ad iſtis indignis & pericnloſis dictis fidem faciendam. Nonne enim iſta aſſumtio perſonae Samuelis eo comparata fuiſſet, vt diceret quaſi Satanas: *ego ſum Samuel*, ſanctiſſimus propheta ille? Atqui ſic imitatio

A) *Exiſtimationi* Samuelis detraxiſſet. Niſi enim percrebuiſſet, ante initium actionum iſtarum necromanticarum Samuelem iam interceſſiſſe, eumque, ſe a DEO mitti, re & verbis faſſum eſſe; niſi, inquam, certum fuiſſet, Samuelis apparitionem minime deberi magicis ad diabolum directis ſupplicationibus: videri potuiſſet SAMVEL vel a) cum diabolo amice colludere, quaſi mancipium orci, & fautor ſuperſtitionum manticarum, vel b) tam parum a DEO diligi & curari, vt Deus eum Satanae mandatis ſubiectum eſſe ſineret, atque tam parum felicem hoc probitatis exemplar reddiderit, vt carminibus hydromanticis hominis fungi parere cogeretur. Haec ſane iudicia, minus honorifica! quum tamen *memoria iuſti in benedictione eſſe debeat*. Prou. X, 7. 2. Pet. I, 15. Iniuria in Samuelem futura fuiſſet iſta aſſimilatio,

B) Qua-

B) Quatenus eius facies & reliqua venerabilia huius pii senis pignora in instrumentum diabolicarum illusionum, in ansam ad varia *incommoda*, apud viuentes progeneranda, versa essent.

Illustremus similitudine iniquitatem! Nonne iniurius in Trebatium, optimi exempli ecclesiasten, foret dolus istius, qui laruam, eius vultui similem, sibi praefigeret, qui pallium & reliqua seuerioris disciplinae, luctusque perpetui signa eius indueret, sic autem amictus ineptias ageret, vel iis suffragator interesset actionibus, quae turpitudine haud vacant? Contaminaretur sane fama ordinis sacri. Nonne pro iniuria sibi illata reputaret procerum prouincialium aliquis, si famosus quidam homicida, furcifer & adulter ipsius personam simularet? ipsius vestes, ipsius sigillum & reliqua insignia accurate aemularetur? Nonne contumelia se affectum putarent honestissimi quique, si sycophanta quispiam eorum nomen mentiretur, & nomine eorum ageret, quae ipsi tamen minime egerunt? Ferresne, si quis, monstrosus, tumultibus, compotationibus luxusque criminibus infamis te indueret? Atqui vultus Samuelis fuit eius διακρινόμενον, eius sigillum quasi, moneta animi, id, quo discernebatur ab aliis suae aetatis hominibus. Si turpissimus scelerum inuentor notas Samuelis characteristicas vsurpasset: profecto is egisset quasi monetarium adulteratorem, egisset plagiarium, adhibuisset sigillum eius quasi dianoëticum. Quid hoc fuisset, quam Samueli τὸ suum rapere? iniuria omnino. Cuinam est mens integra, qui sibi persuadere possit, iustissimum Dominum, (qui vetuit, ne quis vir vestibus femininis, ne qua femina vestibus virilibus vteretur Deut. 22, 5.) hunc abusum sanctae formae concessurum fuisse?

II. Narrari 2. Cor. XI, 14, *quod diabolus se in angelum lucis transformare soleat.* Hoc parere hanc conclusionem, quod is etiam in hunc vel illum hominem, e. c. Samuelem, se transfigurare potuerit.

RESP. Tenaci reti implicari sic videor. Sed quantumuis forte videatur hoc argumentum, & plausibile, dabit tamen eius imbecillitas, vt expedire me queam. Nego eius consequentiam. Nam

a) illa verba v. 14. αὐτὸς γὰρ ὁ Σατανᾶς μετασχηματίζεται εἰς ἄγγελον φωτὸς reuelant nobis tantum, Satanam ſolere transformari *in* ANGELVM *lucis*, minime autem edicunt, eum transfigurari in HOMINEM *lucis*, ſeu luce diuina colluſtratum & ſempiternae lucis conſortem. Sed valde diſtincta ſunt haec duo: ANGELVM malum transformari in ANGELVM bonum, & ANGELVM malum transformari in HOMINEM bonum, beate defunctum, vel animam eius.

b) Verba illa referunt tantum *generatim*, *Satanam*, dominum falſorum Emiſſariorum, *ipſum transformari in angelum lucis.*

Non vero memoratur, Satanam transmutari *in hunc vel illum* SPECIFICE *angelum lucis*, e. c. MICHAELEM, GABRIELEM, &c. Poſito igitur, valere ob varia experimenta argumentationem *a ſimili* ductam: *quicumque angelus malus in* ANGELVM bonum *transformari* ſolet, is etiam in HOMINIS boni *figuram conſpicuam transmutatur:* tamen nondum ex hoc loco Paulino ſequitur, dari diabolo veniam, *huius illiusue indiuidui humani ſpeciem ſigillatim pro lubitu induendi.*

Haud repugno, Satanam interdum adſciuiſſe formam hominis. (Quamquam multae hiſtoriolae papaeis ſuperioris aeui ignorantiae nebulis debeantur.) Ipſi enim alteri Adamo aſtutum tentatorem ſe ſub ſpecie *viatoris* obieciſſe, ideo exiſtimo, quia eiusmodi voces in hac tentatione deſcribenda Matth. IIII. & Luc. IIII. adhibentur, quae de comitibus itineris adhiberi frequentiſſime ſolent, e. c. προσελθεῖν, παραλαβεῖν, ἀνάγειν, ἰσάναι, & quae de ipſo IESV, viae duce & diſcipulorum ſuorum ſocio, Matth. XVII, 1. Luc. XVIII, 31. reperiuntur. Sed aliud eſt transformari in hominem generatim, aliud transformari in hominem ſanctum beate mortuum, in perſonam legati diuini, qualis Samuel in terris exſtiterat, quem ipſa improbitas ſanctum haud negauerit. Si propter multa ingentia incommoda vetitum eſt diabolo, ſe in hunc vel illum notiſſimum in exercitu Dei angelum transfigurare: nec licet ei, huius illiusue noti hominis formam aſſumere.

Inſtat

Inſtat vir doctiſſimus: Valere tamen argumentationem a *maiori* ad *minus*. *Si poteſt diabolus ſe conuertere in angelum lucis*, inquit, POTEST *etiam multo facilius ſe in mortuum ſanctum hominem transformare.*

RESP. AA) Dubium eſt antecedens, ſatanam in formam angeli lucis transmeare *qua externam, hominibus viſibilem, ſpeciem;* Seu incerta valde eſt conſuetudo cacodaemonis, ſe hominibus, tamquam angelum lucidum, praebendi. Experientia, de qua pagina ſacra teſtimonium fidei digniſſimum perhibet, docuit quidem, bonos angelos in lucida veſte quaſi ſe conſpicandos dediſſe, vt cognoſci poſſet, eos Dei, qui lux eſt, miniſtros eſſe. Sed nullum refert ſcriptura exemplum, angelos malos, hos tenebriones, in claritatis inſignibus apparuiſſe. Perperam per *luciferum* Eſ. XIIII.12 Satanam intelligi, omnibus conſtat. Verbis illis μετασχηματίζεται εἰς ἄγγελον φωτὸς ſatis fit, quando ea de ſimulatione MORVM ſanctorum, *functionis* bonae, *ſcopi* boni intelliguntur. Emphaſis enim eſt in voce φωτὸς. Adeo, vt Pauli mens ſit: *Ipſe Satanas falſis apoſtolis exemplo ſuo praeiuit*, dum SIMVLAVIT *in paradiſo* OFFICIVM *boni angeli.* Vti olim, pariter nunc tum in genere humano, tum in ſphaera pneumatica Job.I,1. hypocriticos mores fingere in υἱοῖς ἀπιστίας ſolet.

Apparet hoc ſatis luculenter e ſerie argumenti Paulini. Nam

A) Alludunt haec verba v. **14.** αὐτὸς γὰρ ὁ Σατανᾶς, μετασχηματίζεται εἰς ἄγγελον φωτὸς, manifeſto *ad comma 3.* ὡς ὁ ὄφις Εὐαν ἐξηπάτησεν, ſeu ad callidam illam deceptionem Heuae, factam a Satana ſub ſchemate

a) LEGATI DIVINI, quaſi ideo miſſi, vt legem Gen. II, 17. *ne comede ex arbore* . . . . antiquaret. Sicuti enim propheta ille anonymus Bethele 1.Reg. XIII, 18. mentitus eſt alii, ſe diuinitus miſſum eſſe, vt abrogaret mandatum prius v.9. atque mutatum conſilium diuinum ipſi nuntiaret: ſic diabolus,

 mendax

mendax ab initio Joh. VIII, 44, ſimulauit, ſe ad Heuam miſſum a Deo eſſe, vt illam legem, quae fortuito Deo exciderit, (Gen. I, *num dixerit Deus? &c.*) corrigeret, (v. 4. יֹדֵעַ אֱלֹהִים NOVIT DEVS, mutata ſententia, quod, *ſimul atque comederitis ex ea, aperientur oculi veſtri.*) Scire ſaltem ſe ex conſuetudine cum Deo, eam corrigendam eſſe. Eandem aleam luſit contra alterum caput foederale Matth. IIII, 6. dicens, γέγραπται γὰρ. q. d. heus! alium nuntium! qui te latuit.

b) Sub idea *promotoris felicitatis* protoplaſtorum, LVCEM vberiorem ex arbore cognitionis boni ac mali promittentis, ſub forma amici, fidique conſiliarii. Sic etiam in CHRISTO artium ſuarum periculum faciens Matth. IIII, beneuolentiam ſimulauit.

Quare, vi alluſionis, haec verba hoc velint, neceſſe eſt: 1) *ſolet ipſe diabolus*, vt tecte noceat item ac honoretur, *externis ſermonibus temere ſe venditare pro ſpiritu beatiſſimo*, a Deo, qui *lux* eſt, Joh. XII, 35. 36. 1. Joh. I, 7. Col. I, 12. miſſo. 2) Solet, quando fallacias adornat, tamen impudens Ψεύσης *bonum ſcopum & felicitatis cauſſam* praetexere, &, tamquam lux grata, in doloſa comitate *lucem* ſolidioris ſapientiae, ſanctitatis ac laetitiae ſpondere.

B) COMPARAT Paulus *transformationem Satanae* cum *transformatione Pſeudo-Apoſtolorum*, qua vtuntur vtrique, quando cum hominibus agunt. Sic enim v. 13. perhibet: οἱ γὰρ τοιοῦτοι ψευδαπόστολοι, ἐργάται δόλιοι, μετασχηματιζόμενοι εἰς ἀποστόλους Χριστοῦ. v. 14. Καὶ οὐ θαυμαστόν· αὐτὸς γὰρ ὁ Σατανᾶς κ. τ. λ. Quid eſt euidentius, quam quod vi hu-

vi huius comparationis talis transfiguratio Satanae heic intelligi debeat, qualis eſt transformatio Pſeudo-Apoſtolorum? In μετασχηματισμῷ enim verſatur κρινόμενον punctum comparationis. Qualis effectus eſt, talis eſt cauſſa. *Qualis eſt grex*, falſi apoſtoli, *talis eſt rex*, Satanas. Atqui Pſeudo-Apoſtolorum transformatio conſiſtebat

1) in ſimulatione OFFICII apoſtolorum veritatis. Eorum collegas oſtentabant ſe, quaſi a Chriſto miſſi eſſent, (v. 15. μετασχηματίζονται εἰς ἀποστόλους Χριστοῦ,) quaſi optime inſtructi eſſent. Nam iactabant, ſe eſſe diſcipulos τῶν ὑπερλίαν ἀποστόλων. v. 5. Quare *tum* illam particulam reuelationis, quam veris apoſtolis, contemto Paulo v. 6, ſuffurati erant, propoſuerunt, interpolatis tamen ſuis ſententiarum noxis; *tum* mores verorum apoſtolorum ex parte imitati ſunt, patiendo alias atque alias calamitates, exhibendo ſe laborioſos, ſubmiſſos, immo promtos ad contumelias ferendas. Sic igitur ſchema genuinorum CHRISTI apoſtolorum aemulati ſunt.

2) In BONI SCOPI, amoris & beneuolentiae officioſae conteſtatione. Huc pertinent verba v. 15. *non magnum* ſeu mirum *igitur, ſi etiam miniſtri eius* (diaboli) μετασχηματίζονται ὡς διάκονοι δικαιοσύνης. Hi vaniloqui enim praedicabant, ſe lucri minime cupidos eſſe, quum tamen eſſent Phil. II, 21, nec honorum aucupes; ſe nihil praeter felicitatem Corinthiorum quaerere, ſe eſſe nuntios *lucis*, in ſtatu gratiae & bonae conſcientiae conſtitutos, & laeta communione cum Deo coniunctos. Quae quum ita ſint, iam vero ſequantur verba illa, de quibus diſceptamus: αὐτὸς γὰρ ὁ Σατανᾶς μετασχηματίζεται εἰς ἄγγελον φωτός: colligo ex hac compage, Paulum his ipſis hoc innuere, ipſum patrem fallaciarum 1) gloriari de *diuina miſſione*; 2) virtutum quarundam, amoris in primis, pompam affectare, & *hypocritam inter homines agere*. Sic igitur de viſibili Satanae apparitione textus nihil definit.

BB) Fac autem, certiſſimum eſſe *antecedens*: tamen lubrica eſt conſequentia,

a) Si

a) Si ambigua vox *poteſt* de *venia* accipitur. Satius enim eſt, in rebus ad regnum Pneumaticum, quod nobis parum cognitum eſt, pertinentibus vnice ipſis verbis ſacris preſſe inſiſtere, nec extra orbitam effati euagari. Neſcimus, quid maius, quid minus; quid magis licitum, quid minus licitum in illa oeconomia ſit? Namque tum *leges* regni ſpirituum nobis obſcurae ſunt, tum *experientiis* deſtituimur. Vacillare videtur conſecutio

b) Si vocabulum *poteſt* de *potentia* ſumitur. Neque enim facilior, ſed difficilior eſſe ſolet μεταμόρφωσις εἰς ἄλλο γένος, quam mutatio modi cuiusdam in eadem ſeruata natura. Poteſt homo ſceleſtus ſe aliquantisper ſimulare bonum & virtuti amicum. Sed difficilius huic foret, ſe ſimulare *meram ſubſtantiam ſpiritualem.* Haec poſterior enim transformatio eſſet transgreſſio in aliud genus. Sic etiam, credideris, facilius eſſe *angelo*, transformari in ANGELVM *lucis*, quam in HOMINEM defunctum.

Faciliori negotio poteſt figura circularis μετασχηματίζεσθαι in figuram quadratam, quam induere indolem carnis, ligni, & aliorum heterogeneorum. Facilius puero accommodatur tunica virilis, quam cruſta cancri. Genera enim, puer & cancer, diuerſa ſunt. Facilius ferrum ab aerugine purgatur, facilius plumbum politur, quam tranſit in ſpeciem auri. Si omne ſimile claudicat, claudicant ſane vehementer ea, quae e mundo corporeo ad mundum ſpiritualem transferuntur. Cedo, ſed non niſi καθ' ἄνθρωπον haec dicta ſunto.

§. XXXXII.

Epilogus. Satisfeciſſe videor inſtituto, quum, ducibus ipſis amanuenſis ſacri verbis, *propoſitum mulieris Endoreae, mortuum* SAMVELEM *in dolio coriaceo* vel alio vaſe *repraeſentandi* §. 5-26. itemque *veritatem apparitionis* SAMVELIS §. 27-38. oſtenderim, & confirmauerim §. 39-41.

Fertile eſt hoc arduum argumentum larga ſpinoſarum quaeſtionum ſegete. His vero iam haud immoror. *Partim*

tim enim illae e tractatione diiudicari possunt, in qua potiores reliquisse haud intactas mihi videor; *partim* ἐπιξλήμασι quibusdam comprehenduntur commodius; *partim* leuiores sunt, quam prima fronte videntur; quo retulerim illud dubium de putrefactione *pallii*, siquidem מעיל *toga teres, tunica exterior*, (teste IO. BRAVNIO *de vestitu sac. Hebraeorum)* confecta esse solebat e materia, diu a putredine tuta; *partim* vero eiusmodi sunt, vt praestet ignorantiam profiteri, quam frustra quaesitis effugiis, & fucum faciendo eam prostituere. Scisciantes e.c. audio: *quo* tandem MODO *corpus Samuelis in arctissimum cum anima sua commercium repositum sit?* Procedo anti-obiectione: *quo* MODO *positum* sic tunc fuerat, quum heic viueret Samuel? Pertinet hoc erotema ad ὀχηματολογίαν pneumaticam, quam nemo nostrum, quam diu mortales sumus, callet. Quum veritas τῦ ὅτι demonstratum sit e scripturae testimonio, τὸ διότι ignoratum non maxime valet. „ *Il ne faut point confondre cette obscurité avec ce qu' on appelle contradiction, qui ne se trouve point dans ce qui est vrai.*„ Εἰσὶ γάρ, (concede mihi verba tua, ORIGENES!) *τινες ἁρμοὶ καὶ ἀκολουθίαι ἄφατοι καὶ ἀνεξδιήγητοι περὶ τῆς, κατὰ τὰς ἀνθρωπίνας ψυχὰς, διαφόρου οἰκονομίας. Sunt quidam inexplicabiles nexus & consequentiae de diuersa DEI dispensatione circa hominum animas.* Pars huius dissertationis altera, quam §. 4. recepi, agens de SAMVELE reduce *Thnetopsychitis os obturante*, subsequetur, simul atque per quotidianas occupationes licebit. Finio verbis Drusii apud *Wolfgangum* FRANZIVM in libro de *interpretatione scripturae S.* p. 982. (edit. Viteb. 1619.) TVTVS SIT A CALVMNIA, QVI ID DICIT, QVOD SCRIPTVRA SACRA DICIT.

أَلْحَمْدُ لِلَّهِ رَبِّ ٱلْعَالَمِينَ ٱلرَّحْمَٰنِ ٱلرَّحِيمِ

مَالِكِ يَوْمِ ٱلدِّينِ

ERRATA. Pag. 60. lin. 30. lege *desiisset*; ibidem *esset*.
Pag. 70. lin. 7. pro *de* lege *du*.

) o (

FVGAVACVI.

INDEX

LOCORVM SCRIPTVRAE SACRAE EXPLICATORVM.

Gen. VIII, 27. Bettel 16.
Gen. XXXXVI, 13. *Iob.* vir binominis 25.
Job. XXXII, 19. circumscribitur 22-24
1. Sam. XV, 23. חרפה vox non frustra inserta. 32.
1. Sam. XXVIII, 6. pugna cum 1. Chr. X, 14. tollitur, in subsidium vocando *plusquamperfectum.* 11. 12.
1. Sam. XXVIII, 19. exponitur de *Scheol*, h. e. *basilica bipartita.* 57. 58.
1. Sam. XXVIII, 3-19. in tota tractatione. Non *Pythia* sed *Pithia* appellanda est mulier Endorea. Exercuit nominatissimum illud inter gentiles diuinandi genus per *aquam in vase.* Sigillatim modum definire velle, est ἀς πίθον τετρημένον ὕδωρ ἀντλεῖν. 18.
1. Reg. XVIII, 29. weissageten 46.
2. Reg. VI, 6. *ferrum natans* 43.
Ies. XXVIIII, 4. *vas in specu susurrans (de terra)* deiectum. 55.
Sir. XXXXVI, 23. secus vertitur, quam moris fuit hucusque. 7.
Luc. XVI, 31. Christus alludit ad Samuelem. 8.
Act. XVI, 16. *Pythonica*, non est ἐν γαστρὶ μύθος. Illa est ἐνεργουμένη *patiens*, haec agens. 16. 15.
2. Cor. XI, 14. quid sit, *Satanas transfiguratur in angelum lucis*, exponitur. 73-77.

VOCES HEBRAICAE

Quot in bibliis? 23. אבה 26. 27. ארני 46. אוב 12. 13-31. אויב 26. אייב 26. אכזב 44. אלתים 38. 39. 42. אנטל 19. ארץ 50. בטן 13. בעלה 18. גויה 13. גוף 13. גחון 13. דרש 11. הוא 39. 50. 51. חרטמים 14. ירע 51. 52. 53. ישראל 23. לגנין 24. מחר 56. 57. מעיל 48. 79. נאדות 20. נבא 46. נבלי 27. נקד 51. סיר 19. סמאל 47. עלה 49. עם 57. עצם 13. פות 16. פך 19. פתה 16. קנה 8. קרב 13. קרן 19. ראה 51. 53. רגז 47. 67. שאל 57. 58. שוא 44. שום 39. שחה 51. שמע 39. שקר 44.
Voces *Arabicae* 19. 25. 27. 29. 43. 75. *Chaldaicae*, *Syriacae* 26. 28. 29. *Persicae* ib. *Graecae* 7-9. 20-22. 29. 34-36. 46. 66.

FVGAVACVI.

INDEX

LOCORVM SCRIPTVRAE SACRAE EXPLICATORVM.

Gen. VIII, 27. Bettel 16.
Gen. XXXXVI, 13. *Iob.* vir binominis 25.
Job. XXXII, 19. circumscribitur 22-24
1. Sam. XV, 23. ⊏⊐ף vox non frustra inserta. 32.
1. Sam. XXVIII, 6. pugna cum 1. Chr. X, 14. tollitur, in subsidium vocando *plusquamperfectum.* 11. 12.
1. Sam. XXVIII, 19. exponitur de *Scheol*, h. e. *basilica bipartita.* 57. 58.
1. Sam. XXVIII, 3-19. in tota tractatione. Non *Pythia* sed *Pithia* appellanda est mulier Endorea. Exercuit nominatissimum illud inter gentiles diuinandi genus per *aquam in vase.* Sigillatim modum definire velle, est ἀς πίδον τετρημένον ὕδωρ ἀντλεῖν. 18.
1. Reg. XVIII, 29. weissageten 46.
2. Reg. VI, 6. *ferrum natans* 43.
Ies. XXVIIII, 4. *vas in specu susurrans (de terra)* deiectum. 55.
Sir. XXXXVI, 23. secus vertitur, quam moris fuit hucusque. 7.
Luc. XVI, 31. Christus alludit ad Samuelem. 8.
Act. XVI, 16. *Pythonica*, non est ἐν γαστρὶ μύθος. Illa est ἐνεργουμένη *patiens*, haec agens. 16. 15.
2. Cor. XI, 14. quid sit, *Satanas transfiguratur in angelum lucis*, exponitur. 73-77.

VOCES HEBRAICAE

Quot in bibliis? 23. אבה 26. 27. ארני 46. אוב 12. 13-31. אויב 26. אייב 26. אכזב 44. אלתים 38. 39. 42. אנטל 19. ארץ 50. בטן 13. בעלה 18. גויה 13. גוף 13. גחון 13. דרש 11. הוא 39. 50. 51. חרטמים 14. ירע 51. 52. 53. ישראל 23. לגנין 24. מחר 56. 57. מעיל 48. 79. נאדות 20. נבא 46. נבלי 27. נקד 51. סיר 19. סמאל 47. עלה 16. עם 57. עצם 13. פות 49. פך 19. פתה 16. קנה 8. קרב 13. קרן 19. ראה 51. 53. רגז 47. 67. שאל 57. 58. שוא 44. שום 39. שחה 51. שמע 39. שקר 44.
Voces *Arabicae* 19. 25. 27. 29. 43. 75. *Chaldaicae*, *Syriacae* 26. 28. 29. *Persicae* ib. *Græcæ* 7-9. 20-22. 29. 34-36. 46. 66.

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Chrysander, Wilhelm Christian Justus,

<<Wilhelmi Christiani Iusti Chrysandri Diatribe theol.>> de vero Samuele post mortem suam cum Saule colloquente ad locum vexatum I. Sam. XXVIII, 5 - 19 illustrandum comparata

Helmstadium 1749

4 Diss. 2957#Beibd.2
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10953087-2
VD18 14903822-001